Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Hermann Bonnus

FARRAGO || PRAECIPVORVM || EXEMPLORVM DE || APOSTOLIS, MARTYRIBVS,|| Episcopis, et Sanctis Patribus veteris Ecclesiae,|| qui ... || Christianae religioni fideliter patrocinati || sunt ... || Per || HERMANNVM BON=||NVM, QVONDAM ECCLESIAE || LVBECENSIS SVPERINTENDEN-||tem ... || collecta.|| ... || ([Hrsg.v.] Arnoldus Bonnus || Lubecensis.||)

Rostock: Ferber, Augustin d.Ä., 1579

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1015147240

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn1015147240/phys_0001

143 p
Pr. Engr. 110 fol Inc
Lvg. st C 56. l. 13.
30 40 fol
Lvg. st N.
F. f – 3505 1.2.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn1015147240/phys_0002

2.

1. VD16 ZV 15834

Universitäts Bibliothek Rostock

http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn1015147240/phys_0003

Af-3503:12

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1015147240/phys_0004

FARRAGO PRÆCIPVORVM EXEMPLORVM DE APOSTOLIS, MARTYRIBVS, Episcopis, & sanctis Patribus veteris Ecclesiæ, qui docentes verbum Dei & veritatem illius adserentes, Christianæ religioni fideliter patrocinati sunt. Quorum cognitio inprimis vtilis & necessaria est Prædicatoribus verbi Dei.

Per

HERMANNVM BONNVM, QVONDAM ECCLESIÆ LVBECENSIS SVPERINTENDENTEM, accurato cum iudicio collecta.

Catalogum sanctorum, qui in hoc libro habentur, Index in calce huius libelli ostendit.

ROSTOCHII
TYPIS AVGVSTINI FERBERI.
M. D. LXXIX.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1015147240/phys_0005

REVERENDISSIMO ET ILLVSTRISSIMO PRINCIPI ET DOMINO, D. CHRISTOPHORO, Administratori Raceburgensi, Duci Megapolensi, Principi Vandalorum, Comiti Suerinensi, Rostochij ac Stargardiæ Domino.

NEC NON

REVERENDISSIMO PRINCIPI AC DOMINO, D. EBERHARDO, Confirmato Episcopo Lubecensi, Postulato Verdensi, Cænobij ad Sanct. Michaelem in ciuitate Luneburga Domino, Dominis suis clementissimis.

ETSI historiam plurimi luculentè & copiosè laudauerunt, Illustriss: & Reuerendiss: Principes, Domini clementissimi, tamen rej ipsius magnitudo omnem prædicationem superat. Vtilitates enim tantas, quantas vix reliqua-

rum disciplinarum, quæ bonæ vocantur, vlla, in se continet. Delectationem verò liberalem, eamq; mirificam parit quæuis, cuiusmodi eà sit, & qualicunq; cum artificio conscripta historia. Vt interim taceam, quàm homine dignum & honestatis plenum sit, res ante se gestas, in monumentis illustribus velut in speculo intueri: & hac ratione se à bestiarum, quæ præsentia tantum persequuntur, præterita non meminerunt, ignorantia vindicare. Itaq; videmus optimum quenq;, non modo eorum, qui docti haberi volunt, sed etiam indoctorum, ad priorum temporum historias cognoscendas mirificè duci, & ab ipsa natura quodammodo rapi. Quod quamuis laude & prædicatione sit dignissimum, tamen hic quoq; videre est peruersitatis humanæ, & deprauatæ nostræ naturæ non

obscu-

obscurum vestigium. Quotus enim quisq; est, qui maiori aut saltem pari studio, res ab Ecclesia Dei, diuino instincto; & à Romanis, Græcis, vel etiam Barbaris, humana cupiditate gestas, euoluit? cum tamen nec præstantia, nec antiquitate, nec rerum certitudine, nec vtilitate, hæ cum illis comparari possint. Quomodo enim quæ de rebus diuinis agunt, non erunt præstantiora humanis? Tum quæ historia antiquior esse poterit, quam quæ ab ipsa origine mundi incoata, ad nostra tempora continua serie deducta est? Quæ certior ea, quæ partim ipso Dei digito conscripta, partim ab hominibus cœlesti numine afflatis est tradita? Quæ vtilior, quàm quæ de lapsu & redemptione totius generis humani nos instituit, & fidei Christianæ summam tradit? Ac-

cedit huc, quod vt in Ciuitate turpe est, mores ciuium, & magistratus, at q; viros de Republ. præclarè meritos ignorare: ita longè turpius, eos viros, qui Ecclesiam Dei, veluti communẽ patriam, fideliter docuerunt, aut non cognosse, aut in mentem non assiduè redigere: Præsertim, cum doctrinæ cœlesti maiorem fidem concilient, & nescio quomodo vim acriorem habeant luculenta & illustria exempla eorum, qui & constanter eam docuerunt, & non modo miraculis multifariam editis confirmarunt, sed etiam cum vita honestè ac piè transacta, ornarunt, tum martyrio & sanguine suo obsignarunt. Quales in prima noui testamenti Ecclesia fuerunt, præcipuè omnium Christi factorum spectatores, & eius diuinitatis verissimi testes, duodecim Apostoli: & post eos sanctissimi

Epis-

Episcopi, siue Ecclesiæ per totum orbem mirificè crescentis, præsides. Quamobrem illorum acta, vel à nobis ipsis ex sacris literis & Ecclesiasticis historijs eruenda, vel à viris eruditis erutæ, diligenter euoluenda sunt. Qua in re vtilem & præclaram operam nauauit V.C. HERMANNVS BONNVS, pater meus longè charissimus, fœlicissimæ recordationis, Lubecensis Ecclesiæ inspector olim supremus. Qui non contentus clarissimam Euangelicæ lucis facem ciuibus suis ex sacris literis præferre, præterea vitas Apostolorum Christi, & qui non ita longe ab eorum ætate recesserunt, Episcoporum, ex Euangelica historia & probatis scriptoribus, singulari studio atq; iudicio inter legendum collegit. Quem libellum ante annos plus minus XL. Halæ Sueno-

rum editum, quoniam à viris eruditis & religiosis desiderari amici quidam mihi significarunt, id quod mei officij ratio postulare videbatur, feci: & libellum ipsum ex annotationibus patris manu scriptis, recognitum atq; auctum, iterum haud inuitus euulgaui. Existimabam enim, me neq; pietatis studiosis rem ingratam facturum, ijs præsertim, quibus ipsos fontes scriptorum veterum delibare non esset integrum: & à mea in parentem optimum pietate non discessurum, si ipsius lucubrationum monumenta, quod in me esset, ab obliuione conseruata vellem. Vobis autem Illustrißimi & Reuerendißimi Principes, & Domini clementißmi, hanc meam opellam potißimum dedicare volui, quod Excelsitates vestras bonas literas studiosè fouere, & huiusmodi inprimis scripto-

ſcriptorum genus clementiſſimè amplecti & tueri, à multis acceperim. Accedit huc, quod hic ſanctiſſimorum Eccleſiæ procerum & Epiſcoporum vitæ complures recenſentur: quorum Ex. V. non in dignitatem modo, quæ eſt ampliſſima, ſucceſſiſtis, ſed etiam tum pietatem, tum omnis generis virtutes ſummo cum ſtudio imitamini. Itaq; ſalutarem & incorruptam Euangelij doctrinam conſtanter profitemini, & eandem veſtros populos doceri iubetis: neq; odijs ſacerdotum aut puritatem eius deprauari, aut auctoritatem labefactari permittitis. Quibus pro rebus (quoniam bene cœpta vrgere non deſiſtitis) gloriam ab hominibus pijs & intelligentibus ſingularem, à Deo verò Opt: Max: in beata immortalitate mercedem iuſtam recipietis. Interim Illuſtriſſimas & Gene-

rosissimas Excels. Vestras subiectissimo animo precor, vt libellum hunc tenuem quidem, sed virtutibus vestris & amplissimæ dignitati debitum, beneuolo animo suscipiatis, & me obseruantissimum vestrarum Excelsitatum benignè & clementer complectamini. Deus Opt: Max: Vest: Excels: Reipublicæ Christianæ & Ecclesiæ diutissimè florentes & incolumes conseruet. Datæ Lubecæ, Calendis Iulij, Anno post natum Christum 1579.

Excels. Vest.

addictissimus

Arnoldus Bonnus

Lubecensis.

EPIGRAMMA M. ZACHARIÆ ORTHI, POETÆ LAVREATI, IN LIBRVM EXEMPLORVM HERMANNI BONNI.



Vstrat prata, rosas, halantes floribus hortos,
Dum legit Hiblæos stipat apisq; fauos:
Sic dum Bonne doces sancti mysteria Verbi,
Trauus vbi pigras in mare voluit aquas,
Ex sanctis patribus gemmas atq; aurea dicta,
Exemplum vitæ colligis arte piæ.
Verum ne talis mentis fauus atq; labores
Intereant, nati præstitit officium.
Viuis ab exequijs, sicut reparabilis ales
Phœnix, ingenio Bonne diserte tuo.
Nam pietas nati cineres post fata iacere
Non patitur, sanctos cudit at ære libros.
Cuius nunc studijs Respublica magna Lubecæ
Vtitur, in nato patris amatq; decus.
Christe salus hominum, custos pereuntis ouilis,
Pastores dignos suffice, pelle lupos.

Ne

Ne malesana dolo tua sancta sophistica templa
Polluat, à vero deuius error agat.
Sint vnum, doceant vnum fac organa verbi
Christe tui, cœptis sis comes ipse pijs.
Te sine, consilijsq; tuis & flamine sancto,
Falsæ doctrinæ Lerna stupenda redit.

ΕΙΣ ΤΟ ΑΥΤΟ ΒΙΒΛΙΟΝ τοῦ αὐτοῦ.

Δανοὺς, βανδαλικάς τε πόλις κήρυγμα διδάξας
Βόννε θεοπνεύστου ῥήματος εἰλικρινές,
Σύλλεξας θείων παραδείγματα ἁγνὰ προφητῶν
Μυστούγων χρησμοὺς καὶ λογὶ ἱρά θεοῦ
Τᾶν πολυτιμήτων δὲ λίθων τάυτην καταθήκην
Τύμβου ἀπ' Αρνόλδου σώζετο ἡοῦ ἔρως.
Οἷον παῖδε πάλαι βασαζέτον ὦκα κατάνης
Εκ φλογὸς ἀνδρομέως αὐχένι τοὺς γονέας
Χαῖρε θεοῦ τεράπων Ερμάυνε σοφώτατε Βόννε
Εὖγε σὺ καὶ σπουδῆς, τοῦγε ὄναιο τέκους.
Σῶμα τεὸν σὴς καὶ σκώληξ καταδαιεται αἴας,
Οὔνομα ἀλλὰ βίβλοις ἔμμορεν ἀμβροσίας.

SVMMA VITAE IESV, SALVATORIS NOSTRI.

CONsilium Euangeliſtarum, & inprimis Matthæi, in deſcribenda Genealogia Chriſti, eſt hoc, vt conſolentur infirmos Iudæos, eoſq; inſtruant & confirment, deinde vt & conuincant animos eorum de his duobus articulis, quod Chriſtus eſt Meſsias, & quod Maria eſt virgo. Nam infirmi difficulter hos duos articulos credere potuerunt, & pertinaces palam creditu impoſsibiles eſſe hos articulos putabant, idq; hac de cauſſa. Chriſtus erat in Oppido Nazareth cum patre, matre, & tota cognatione, optimè & familiariter notus omnibus, continuos triginta annos, quibus ibi vixerat, primum puer educatus, ſicut alij pueri, deinde adhibitus à patre ad opificium fabri lignarij, non frequentans ſcholas ad diſcendum literas. Laborauit igitur vnà cum patre, ſicuti alij eiuſdem opificij diſcipuli, & patre defuncto, eandem artem pro acquirendo victu & amictu, in ſuum & pauperis ſuæ matris vſum exercuit. Nihil iactauit aut præſumſit præ alijs, neq; præpoſuit ſe cuiquam, ſed mediocriter & modeſtè ſe geſsit in omnibus, & erga omnes

omnes suos coæquales, cum quibus erat, ita vt nemo omnium cogitare aut scire posset, esse aliquid eximij in iuuene fabro lignario, & quidem literarum & scripturæ imperito, tantum abest, vt sperare aliquis potuisset, eum excellentem aliquando prædicatorem esse futurum. Neq; enim vllius miraculi aut insignioris facti in Euangelica historia mentio fit, ante annum Christi triceſimum: nisi quod puer annorum duodecim, relictis parentibus in templo, cum Legisperitis prudenter & accurate disputauerit, & de cœlesti doctrina disseruerit per triduum: Postea tamen ad parentes iterum concessit, illosq;, vt anteà, debita obseruantia coluit, & in opificio quoq; lignario patri non defuit.

Vbi vero annum triceſimum attigit, statim deserit opificium, mutat locum, currit vnà cum alijs, vt baptizetur à Iohanne. Mox tanquam profugus secedit in desertum dies quadraginta, reuersus prædicare incipit, interpretatur scripturas, docet, signa & miracula facit inaudita, cum omnium hominum admiratione, & præter exspectationem suorum, adeo etiam vt præ illius doctrina Sacerdotes & Doctores, veluti segnes & fagidi Magistri in docendo reputarentur. Docuit enim Christus quasi habens auctoritatem, non sicut scribæ & pharisæj. Hæc erant

erant inexpectata omnino in omnium oculis auribus.

Sed quid ista? Restant magis miranda, quod non tantum prophetam se esse à Deo missum, sed etiam ipsum Messiam testabatur. Quam putas contemptim & ridicule de his & iudicarunt & locuti sunt omnes, maximè, quibus à primis vnguiculis erat familiariter notus? Ab inquiunt haud dubiè, noli credere, hunc Iesum, vestrum in eadem arte socium, prædicare posse, quem nos scimus nullis literis instructum esse: nos illum nouimus probe, & ille nouit nos vicissim. Cogita quid diceres, si simile quiddam tibi nunciaretur de tuo socio & noto, ac educato tecum in eadem patria? Nunquam certe crederes illum alibi aut regem, aut prædicatorem eximium esse factum. Idem planè Nazaræis accidit cum Iesu.

Porrò vbi redit forte vix post semestre domum, intrat Synagogam, accipit Esaiæ librum, legit, & præclarum sermonem ad populum habet, quem omnes cum summa admiratione suspiciunt & admirantur. Ibi cum coram ipsi eum vident & audiunt, non possunt negare Iesum esse, quem noscunt, ideoq; dicere incipiunt, Matthæi 13. Vbi huic hæc sapientia & virtutes? Nonne hic est fabri filius? Nonne mater eius

dicitur

dicitur Maria? nonne fratres eius cognouimus? Et offendebantur in eo. Quare quæso offenduntur? Quia credere non potuerunt ex Deo esse, quæ videbant & audiebant. Persona nota erat & contempta, ideoq; existimabant ipsum se Diabolo tradidisse, qui ista tam stupenda per ipsum faceret, & cum verbo saltem reprehenderet illos, eiecerunt illum extra Ciuitatem, volentes eum precipitare de monte, tanquam hominem pestiferum. Lucæ 4. Nam significauerat in Esaiæ lectione se esse Messiam, cum diceret hæc de se scripta esse, & impletam hodie prophetiam esse, Esa. 60. Dixit se Messiam, cum tamen notus esset omnibus, & mendico similis videretur; Præterea reprehendit eos tanquam indignos suis miraculis, Atq; hinc statim irarum causæ ortæ sunt aduersus illum, vt de occidendo & perdendo eo cogitarent. Iudicabant enim indignum & blasphemum esse, illum pro Messia agnoscere, quem sciebant manuale officium exercuisse, & natum loco humili. Sed hoc primum illos maxime offendit, quod post resurrectionem & ascensionem eius audiunt ipsum prædicari (quem ipsi iam perditum esse, & è medio sublatum existimabant) dominum & regem æternum in cælo & in terra, ab omnibus agnoscendum & recipiendum. Hæc prædicatio plane impia & intolerabilis

rabilis erat Iudæis. Hic maxima pars Iudæorum offensa est in hunc vsq; diem, secuti scilicet suas cogitationes contra Deum & eius Christum, opposuerunt se clanculum, & vi manifesta, vt hanc doctrinam opprimerent, & adhuc hodie potentem quendam Messiam expectant. Igitur vt excutiant Iudæis hæc omnia scandala, describunt Euangelistæ diligenter Genealogiam Christi, vt non offensi vilitate personæ, credant eum esse filium Abrahæ & Dauidis, atq; adeo omnium Patrum, vsq; ad ipsius matrem, quæ ab Esaia Virgo appellata est.

Quanquam autem Matthæus & Lucas diuersis nominibus, & ordine seu linea vtuntur, in describenda Christi Genealogia, tamen in auo Matthat seu Matthan vterq; conuenit. Nam ex domo Matthan Christus est, Eliq; proauus Christi, Nam Matthan duos habuit filios, Iacob qui pater Ioseph est, sicuti Mattheus ait, & Eli qui pater Mariæ matris Christi fuit, fueruntq; Maria & Ioseph fratrueles zweier bruder Kind der. Quare hinc aperte liquet, Mariam esse ex domo Dauid: quanquam ad hoc probandum satis esset, quod dicit Matthæus: Liber generationis Iesu Christi, filij Dauid: filij Abraham. Si est Christus ex domo Dauid, oportet & matrem eius

esse ex eadem domo, siquidem Christus natus est ex matre Maria, sine patre hic in terris.

In descriptione Genealogiæ hoc tantum spectant Euangelistæ, vt maneant in domo Dauidis, non habita ratione, siue lineam generis ab ipsis patribus seu fratribus deducant, modò sint posteri & filij Dauidis, ques recensent. Lucas videtur nepotum & fratrum lineam recensere vsq; ad Eli.

Genealogiam autem Christi apud Matthæum & Lucam videre licet, quæ contrahi potest in hanc breuem tabellam.

Leui.	Abraham.
Aaron.	Dauid.
Zadoc.	Ioas.
Ioiada.	Zerubabel.
	Matthan.

Zacharia, Elizabeth vxor.	Anna coniunx eius & soror Elizab.	Eli, Iacob,
Iohannes Baptista.		
Maria Cleophe.	Maria	Ioseph, Salome, Zebedæus maritus.
Iacob, Simon, Ioseph, Iuda.	IESVS.	Iacobus Iohannes Maior Euangelista.

Ad

Ad intelligendam hanc tabulam, pertinet id quod Angelus dixit Lucæ 1. Cap. ad Mariam: Elizabeth cognata tua, id est soror matris tuæ Annæ. Atq; hinc porro constat, Christum verè Regem & Sacerdotem esse, vt sunt Maria & Iohannes Baptista consobrini, ex sororibus duabus nati.

DE SANCTO PETRO Apostolo.

SIMON primus Apostolorum Christi, cui & Petro siue Cephæ cognomen fuit, Bethsaidæ, quæ Galileæ Ciuitas est, ad lacum Gennezareth siue Iordanem sita, natus est patre piscatore, cui Ioanni siue (quod idem est) Ionæ nomen fuit. Frater eius fuit Andreas, & idem in Apostolatu collega, atq; ad Christum agnoscendum dux & auctor, vt ex Ioannis Euangelistæ cap. 1. patet. Vxorem Petronellam & eiusdem nominis filiam habuit. Quod exemplum sanctissimi viri plurimum valet ad refellendos Papæ asseclas, qui omne coniugium in Sacerdotibus vt impium damnant, & scelestè prohibent. Primo à fratre suo Andrea ad Christum adductus, & hunc esse

mundi saluatorem edoctus est: quod principium fuisse in ipso ad cognoscendum Christum, & amplectendam salutarem doctrinam, non est dubium. Secundo ab ipso Christo immediatè vocatus est, cum post piscatum illum miraculosum, illo trepidante, Christus piscatorem hominum futurum promisisset, & ipse verbo Christi confisus, relictis omnibus ipsum secutus esset, qua de re prolixe scribunt Matthæus 4. .Marcus 1. cap. Principalem Apostolorum hunc Euangelistæ constituunt, vel quod peculiari affectu à Christo sit amatus: vel quod maiori quàm reliqui zelo, fidem Christianam confessus sit, docuerit & defenderit: vel etiam quod reliquorum veluti Orator, siue Procurator quidam fuerit: vel denique, quod plura vel maximè mirabilia egerit. Nam & cum maiestatem suam Christus in monte Tabor manifestauit, Petrus adfuit: & in aquis ambulauit: per fores obseratas penetrauit: paralyticos homines sanauit: mortuos resuscitauit: Ananiam & Saphiram ob mendacium in Spiritum sanctum occidit: denique vmbra sua omnis generis ægrotos valetudini sæpè restituit. In hoc tam sancto & tantis dotibus ornato viro, fuerunt tamen infirmitatis etiam humanæ multa & euidentia exempla, vt imbecillitatis,

tatis in abnegando Christo: temeritatis in amputanda serui Pontificij auricula: pertinaciæ in vltima cœna siue testamento Domini: hypocrisios deniq; in simulando discrimine victus. Quæ vicia tamen humanissimè dissimulauit Christus, & suis ad patrem precibus emendauit. Post seruatoris ad Patrem reditum, ante discessum reliquorum Apostolorum, quæ egerit, magna ex parte in actis Apostolorum à diuo Luca recensentur. Post Apostolos dispersos ipse in Iudæa manssit, & suis popularibus ac dissipatis in Ponto, Bithynia, Cappadocia, Galatia, & Asia vtraq;, Iudæis & circumiectis gentibus, clarissimam Euangelicæ lucis facem pertulit: Vnde circumcisionis doctor, quemadmodum D. Paulus præputij, nominatur ad Galatas 2. In his cum annos plus minus triginta summo studio docuisset, postremo imperij Neronis anno Romam profectus est, vel visendi D. Pauli gratia, vel etiam vt resisteret Simoni Mago, quem à se Samariæ increpatum, Romæ præstigioſè portenta facere, multosq; ex imperitis seducere comperisset. Cuius artem cum vanam & irritam fecisset, & ipsum in cœlum volaturum, ita deorsum precibus suis præcipitasset, vt crure fracto ex vulnere & ægritudine animi paulò post moreretur, Nero

Cæsar, cui in delicijs fuerat Simon, indignatus, persecutionem aduersus Christianos immanissimè mouit, & Petrum Apostolum vnà cum D. Paulo, eodem die martyrio affecit. Et hic quidem securi (vt ciuis Romanus) percussus est, ille in crucem (iuxta vaticinium Christi) sublatus, anno post natum Christum septuagesimo primo. De pontificatu Petri, cui ipsum præfuisse multos annos, pontificum Romanorum assentatores prodidere, quia meræ nugæ afferuntur, & illæ ipsæ iam antea à multis refutatæ sũt, nihil attingere volui. Reliquit ceu summam & compendium suæ doctrinæ, Epistolas duas, plenas mysteriorum Dei & Apostolici spiritus, siue zeli, quæ ideo Ecclesiæ Dei maxime commendatæ esse debent.

DE S. ANDREA Apostolo.

ANDREAS frater Simonis Petri fuit, ambo piscatores, & vocati à Christo ad munus Apostolicum, per occasionem, cum vterq; nihil minus expectaret. Atq; hæc ipsa illorum vocatio fortuita commendationem continet miseri-

misericordiæ & beneuolentiæ diuinæ, qua per Christum omnes vocamur ad cognitionem Dei, sine nostro merito, tum, cum sumus peccatores & impij. Andreas itaq; per gratiam Dei factus Apostolus, diligenter audiuit cum reliquis Apostolis docentem Christum, credidit Euangelio, & iuxta præceptum Christi vnà quoq; prædicauit, quamdiu adfuit Christo? Hæ sunt summæ laudes Apostolorum & omnium sanctorum Interim quod ad ipsos & ipsorum vitam attinet, non carent vitijs & magnis infirmitatibus, sed vltro dissimulat eas Deus propter Christum, id quod videmus in Andrea & fratre eius Petro, & reliquis Apostolis, sicut in historijs Euangelicis clare expressum est. Porrò post resurrectionem Christi misso iam spiritu sancto, in alium locum alij Apostoli se contulerunt, ad prædicandum Euangelium iuxta præceptum Christi. Testantur itaq; historiæ, docuisse Andream in Scythia, & inde eum in Achaiam Græciæ partem deuenisse, vbi magna diligentia summoq; studio docuit Christum, & reiecto omni veteri cultu idolorum plurimas parrochias instituit, quibus veros prædicatores Euangelij præfecit. Cæterum fœlicem hanc Euangelicæ doctrinæ propagationem in Achaia indigne tulit Satanas. Accidit enim vt

Aegeas proconsul, qui Romanorum nomine administrauit Achaiam, non solum improbaret & contemneret doctrinam Euangelij, sed manifeste etiam se pro sua autoritate opponeret, & tollere etiam prorsus conaretur, idq; ex publico mandato Senatus Romani & Neronis Cæsaris. Atq; vt id commodius facere posset, præcepit vt omnes pro veteri consuetudine idolis immolarent, neq; discederent à recepto iam olim deorum cultu. Atq; hic velut aheneum murum se opposuit Andreas, & palàm restitit Ægeæ impio magistratui, inquiens: Tu qui magistratus es, deberes meritò illum Deum adorare, qui dedit tibi hanc potestatem, & non cogere populum ad impium cultum idolorum. Hanc obiurgationem indigne ferens Ægeas, dixit: Tu ne es ille impostor & seditiosus, qui eam doctrinam inuchis in has terras, quàm publico mandato suo reprobauit Senatus Romanus? Atq; hic simul magno quodam fastu incepit contemnere & deridere doctrinam de crucifixo Christo, existimans nihil vel absurdius vel stultius dici posse, quàm seruari homines debere per talem hominem, qui crucifixus esset. Sed Apostolus Andreas minimè mutus ad hæc fuit, refutauit enim omnes calumnias humanæ rationis contra hanc stultam

doctrinam

doctrinam de Christo crucifixo, comprobauitq; ita fieri oportere, vt pateretur Christus, vt hoc modo seruarentur, credentes in ipsius nomine. Sed his omnibus argumentis, & hac constanti confessione Andreæ, nihil commouetur Ægeas præfectus, sed dixit ad Andream. Quia tam magnifacis crucifixum tuum Deum, ego te quoq; in crucem suffigam, vt experiaris quid sit contra veterem cultū Dei, nouas opiniones de crucifixo tuo Christo in vulgus spargere. Atqui verò tantum abest hic expauisse Andream, quòd etiam Deo gratias egerit, quòd post tantas molestias & tot labores in officio prædicandi Euangelij, per crucem posset vitam suam finire Christi domini & præceptoris sui exemplo, & simul orasse dicitur Deum, vt nunc posit hac occasione deserere præsentem vitam pro ipsius voluntate. Proinde populo gratus Andreas, ob synceram doctrinam, & innocentiam vitæ singularem, rapitur à Tyranno ad paratum supplicium. Sed hic alij lugent indignum casum boni viri, alij per tumultum publicum eripere volunt apostolum & pastorem suum ex Tyranni manibus. Atq; hic ingens propemodum tumultus, & publica quædam clades fuisset exorta, nisi Andreas ipse placide admonuisset populum, & concione sua sedasset

dasset populares turbas. Rogauit etiam populum, ne se priuaret hoc fructu suorum laborum. Nam hanc esse voluntatem Dei, vt tandem prædicationem de Christo crucifixo cruce & morte confirmaret. Est itaq; pro consuetudine Romanorum primum virgis cæsus, deinde in crucem suffixus, atq; ita placidè in manus Dei patris spiritum suum tradidit. Corpus honorificè sepultum est, curantibus id vxore præfecti Ægeæ, quæ conuersa erat ad fidem Euangelij, & alijs pijs hominibus in Christum credentibus.

DE S. IACOBO APOstolo Maiore.

IACOBVS Maior, frater Iohannis Apostoli & Euangelistæ, patria Galilæus, tribu Iudæus: patre natus fuit Zebedæo piscatore viro pio & honesto, & cuius creberrima in Euangelica historia sit mentio, matre Salome, Iesephi Mariæ Deiparæ mariti sorore germana. Initio Ioannis Baptistæ concionibus vnà cum fratre Ioanne frequens & attentus interfuit, eumq; vt magistrum, in salutari doctrina fidelissimum, secutus est. Postea docente Ioanne, Iesum esse inculpatum

culpatum illum Dei agnum, qui tolleret peccata mundi ad cognitionem Euangelij, & ipso Christo vocante ad officium Apostolicum peruenit. Quæ vocatio (vt ex Cap. 4. Matthæi videre est) prorsus inopinata est, & præter ipsius omnem expectationem, tum, cum piscaretur, & nihil minus futurum esse in animum induxisset. Proinde per Christum sine merito suo peruenit ad cognitionem Euangelij, & vocatus est ad Apostolatum, vt ex hoc exemplo consolationis argumentum omnes nos quoq; sumamus, qui sentimus peccatum nostrum & infirmitates carnis, ne dubitemus, omnes sanctos ad eundem modum per gratiam Dei in Christo seruari, sine suis meritis & operibus. Et admonet nos quoq; hic locus de vocatione Apostolorum, qui partim piscatores fuerunt, partim alij homines contempti coràm mundo, vt cogitemus, ideo non repudiari nos à Deo, si homines miseri, viles & contempti sumus, ad illorum hominum æstimationem, qui in mundo potentes & magni sunt, ac magnam commendationem sanctitatis & sapientiæ habent. Vocatus Iacobus à Christo, vltro eum secutus est, & credidit verbo eius, nihil secum deliberans prius, an Pharisæi & magni homines in mundo, esset hoc doctrinæ genus quod adferebat Christus, proba-

probaturi. Post ascensionem Christi & missionem Spiritus sancti, constanter & in trepidè vnà cum alijs Apostolis testatus est de resurrectione Christi, & cum alij in alias orbis partes discederent, prædicaturi Euangelium, ipse Ierosolymæ in Iudæa mansit, ibiq; Episcopus ac Superintendens Ecclesiæ piorum fuit. Nam magna constantia & libertate docuit, iustificari homines per fidem in nomine Christi, ideoq; vanam esse omnem fiduciam operum legis Mosaicæ. Iudæi verò cum indignè ferrent hanc nouam prædicationem de Christo, quotidiè latius propagari, Herodes Agrippa rex, incitantibus Iudæis palàm instituit persequi Apostolos & prædicatores Euangelij. Nam quicquid passim erat turbarum, & publicarum calamitatum ac malorum in regno Iudaico, id omne nouæ prædicationi de Christo imputabatur, existimauitq; Herodes rex & Iudæi, tum demum omnia fore tranquilla publicè & priuatim, si Apostoli & prædicatores Euangelij perderentur, & ab illis veluti à publicis & fatalibus quibusdam monstris terra repurgaretur. Proinde Iacobum Ioannis Apostoli fratrem & Episcopum Ierosolymitanum apprehendi, & capite truncari iubet Herodes, vt hoc modo autores & prima capita Christianæ

secta

sectæ sensim extirparet. Callidum quidem & prudens hoc est consilium, sed quia contra Dominum est & in caussa religionis, ideo non succedit. Nam occiso Iacobo, & Petrum Apostolum similiter apprehendi & in carcerem conjci iussit, Sed ille seruatus est præsidio Dei, & per angelum eductus ex carcere: Herodes, qui conculcatum voluit Euangelij dogma, fœdissimo mortis genere non multo post perijt. Sed ad Iacobum redeamus, qui nulla alia de caussa truncatus est, quàm propter prædicationem de gratuita remissione peccatorum per Christum, contra iustitiam operum legis. Cæterum illa quæ de translato corpore Iacobi à suis discipulis per mare in Galiciam, deinde Compostellam in Hispanias dicuntur, vana & fabulosa commenta sunt Papistarum, tantum quæstus & commodi causssa excogitata, contra Euangelium & doctrinam Iacobi, de grutuita remissione peccatorum in nomine Christi, quam dum viueret, magna constantia docuit contra hypocritas operum.

DE S. IOANNE APOstolo & Euangelista.

Notus

NOTVS locus est de vocatione Ioannis Euangelistæ ex 4. Cap. Matth. vnde constat vocatum eum sine suo merito, & præter omnem expectationem, ad cognitionem Euangelij, & ad munus Apostolicum per Christum. Post resurrectionem Christi vixit Ioannes multo pluribus annis, quàm reliqui Apostoli, & quanquam occisus non est per Tyrannos impios & persecutores Euangelij, tamen non minora incommoda, grauiores etiam cruces & calamitates sustinuit, quàm vel Stephanus, vel omnes alij Apostoli & Martyres. Illis enim contigit citò mori & eximi his miserijs, cæterum Ioannes per totam vitam suam, & per tot annos, veluti in perpetuo quodam & assiduo agone luctatus est. Nam vidit in Ecclesia subinde exoriri pernicioſas sectas & persequutiones aduersus veram Ecclesiam, & simul hæreticos impios foueri publice, & esse in admiratione apud Cæsares, & maximos quosq; homines. Interim Ioannes & reliqui pij, qui Euangelium docebant, contempti & proscripti sunt.

Porrò Ephesi in Asia docuit Euangelium, & Asiæ Ecclesijs præfuit veluti communis & generalis quidam Episcopus & Superintendens. Sub Vespasiano Cæsare vidit vastari regnum Iudaicum

daicum, destrui templum, & Iudæam patriam suam euerti miserrimè. Id verò quanto cum luctu & dolore animi cognouerit, vel inde potest æstimari facilè, quòd non ignorabat id fieri horrendo quodam iudicio Dei, propter contemptum Christum. Vt interim non dicam de prima & grauissima persecutione contra Christianos, sub Nerone imperatore, sub quo optimi quiq; Apostolorum, & magni nominis Christiani mortem oppetierunt, vt Petrus & alij. Porrò vbi Domicianus Imperator factus est, filius Vespasiani, & frater Titi, is secundo persecutus est Christianos post Neronem, & cum publico edicto edito iussisset omnes Christianos, & maximè prædicatores Euangelij, pelli in exilium, profugere Ioannes coactus est in Pathmos insulam (vbi dicitur Apocalypsin scripsisse, si modò illius autor est hic Ioannes) ibi verò in quanto mœrore & luctu fuerit, inde facilè cogitari potest, quòd non ignorabat à sæuissimis lupis, hoc est, prauis doctoribus & impijs hæreticis interea Ecclesias dissipari, & corumpi sanam doctrinam Euangelij. Tandem trucidato Domiciano, permissa est Christianis libertas redeundi. Itaq; reuersus est Ioannes ad Ecclesiam suam Ephesinam, & tranquillitatem nactus scripsit contra

Cionitas,

Ebionitas, Martionem & Cherintum hæreticos, Euangelium suum, in quo potissimum tractat diuinitatem Christi, & doctrinam de iustificatione fidei. Negabant enim hæretici illi diuinitatem Christi, & docebant carnale regnum post hanc vitam futurum.

Cæterum illud haud quaquam hic prætereundum est, quod horrendo iudicio dei fœdissime perierunt blasphemi illi hæretici, & graues dederunt suæ impietatis pœnas. Accidit enim quod lauandi gratia ingressus est balneas Ioannes, & quando uidit Cherintum inter suæ sectæ socios, impudenter & palam blasphemantem Christum in balneis, exilijt Ioannes & illotus discessit, inquiens ad suos: Fugiamus hinc, ne & balneæ ipsæ corruant, in quibus Cherintus lauatur veritatis inimicus. Simulatq; autem egressus erat Ioannes, collapsum balneum est, & oppressi sunt Cherintus & hæretici alij. Dedit itaq; Cherintus cum suis pœnas grauissimas suæ impietatis, vt sciamus homines obstinate impios & blasphemos in Christum, non manere inultos, & exitum illorum semper confusionem & ignominiam esse, vtcunq; aliquamdiu florere & regnare videantur. Contra verò pij quanquam oppressi, & multis calamitatibus obnoxij, tamen glorificantur tandem, & de-

& decedunt cum insigni testimonio pietatis ex hac vita. Proindè hæc exempla hæreticorum consolari debent piorum animos, vt sciant finem impiorum interitum esse, & exitium illorum non tardare, tantum vt nos orantes per patientiam expectemus tempus, quando vlciscetur eos dominus. Cæterum Ioannes functus Episcopi ac prædicatoris Euangelici ministerio apud Ephesios, & doctrina & consilio præfuit Ecclesijs Asiæ, vsq; ad tempora Traiani Imperatoris, qui Neruæ successit, ac tum demum obijt Ephesi, ibidemq; est sepultus, anno octauo & sexagesimo post passum Christum. Et testatur annorum ordo, fuisse Ioannem in officio prædicationis vltra annos sexaginta. Porrò quod inane sepulchrum sit repertum, sicut fertur, nusquam apud probatæ fidei historicos reperitur, saltem huic commento occasionem præbuit id quod dixit Christus. Volo eum sic manere. Ex hoc figmento fabula alia orta est de reditu Enoch, Eliæ & Ioannis in mundum, ante extremum diem.

DE S. PHILIPPO Apostolo.

PHILIPPVS Petri & Andreæ Apostolorum Ciuis, ab ipso Christo ad officium Apostolicum præter suam expectationem vocatus, est, Ioha. 4. Quem secutus est promptè, & saluatorem mundi esse toties promissum à prophetis non modò credidit, sed Nathanaeli quoq; amico suo, hac fide vrgente persuasit. Præter hæc de Philippo in Euangelica historia, aut nihil aut pauca admodum inueniuntur. Nam Philippus is, qui cubicularium reginæ Æthiopum conuertit, & Samaritanos fidem Christi docuit, Diaconus non Apostolus fuit, quatuor postea filiarum pater & Cæsarsiensis ciuis, atq; D. Pauli hospes. Quæ res diligentius obseruanda, ne cum Eusebio & quibusdam alijs hallucinemur & horum duorum virorum historias parum distinctè tradamus. Post ascensionem Christi in Scythiam vsq; propagandi Euangelij causa penetrauit, eamq; magna ex parte dirutis vbiq; idolis Christianæ pietati adiecit, & totis viginti annis, quibus ibi commoratus est, in noua religione confirmauit. Inde in Asiam profectus, eam partim ipse doctrina salutari erudijt, partim ab alijs eruditam roborauit, partim demiq; hæresibus, quibus passim obscurata erat vera doctrina, purgauit. His rebus occupatus, tandem Hiera-

Hierapolim, quæ ciuitas est Phrygiæ peruenit, inuenitq; ibi Christianam quidem Ecclesiam, sed Ebionitarum hæresi ferè totam infectam. Erat is error non leuis aut contemnendus, sed pernitiosissimus, & qui ipsum (quod dicitur) iugulum peteret. Diuinitatem enim Christi negabant, solumq; hominem cum fuisse, non ex sancto Spiritu conceptum, sed ex Ioseph & Maria humano modo genitum, asserabant. Huic tam impiæ sectæ cum acerrimè vir sanctissimus resisteret, & CHRISTVM IESVM DEVM ET HOMINEM esse suis concionibus quotidiè asseueraret, & certissimis argumentis probaret, quotquot ea hæresi infecti erant (erat autem vniuersa ferè Ciuitas) in se commouit. Qui horrendum scelus ausi diuinum hominem comprehensum cruci affigunt, & sic quoq; beatissimo martyre suos cruciatus negligente, diuinitatem verò Christi fortiter asserente, lapidum imbre obruunt, anno à nato Christo quinquagesimo quarto, Imperij Claudij duodecimo, cum vixisset octoginta septem. Vixit autem D. Philippus non in cælibatu sed matrimonio, reliquitq; duas filias: quæ virginitatem suam Deo Opt: Max: dedicarunt, & piè castèq; consenuerunt, vt testatur Eusebius.

DE S. BARTHOLOmæo Apostolo.

BARTHOLOMÆVM Apostolum regia stirpe in India natum esse, quidam autores sunt, & fama miraculorum Christi commotum in Iudæam migrasse, adq; Apostolici muneris dignitatem ab ipso Christo vocatũ esse. Quanquam autem nihil certi in Euangelicis literis scriptum extat de occasione, per quam vocatus est à Christo, tamen ex mera gratia & iuxta beneplacitum Christi, sine suo merito vocatum esse certissimum est, aliorum Apostolorum exemplo. Proinde mire consolatorius est hic locus de vocatione Bartholomæi, atque adeo omnium aliorum Apostolorum, vt non dubitent afflictæ conscientiæ, per solam gratiam Dei seruatos esse omnes sanctos, & neminem suo merito, & propter suam dignitatem conuersum esse ad cognitionem Christi, sed ex gratia miserentis Dei tantum. Ideoq; consolari nos debent hæc exempla sanctorum, ne propter peccatum & infirmitates nostras desperemus. Nam illas vltro dissimulat & ignoscit nobis Deus, modo credamus in Christum, & ab eius verbo non discedamus, &

ad

ad fiduciam operum nostrorum prolabamur. Tolerauit enim multa Christus in discipulis & Apostolis sæpe, qui non vulgariter infirmi fuerunt, sed grauissime etiam errarunt nonnunquam. Sed hæc de vocatione Bartholomæi Apostoli. Cæterum post missionem Spiritus sancti, cum alij Apostoli in alias orbis partes concessissent ad prædicandum Euangelium, iuxta mandatum Christi, Bartholomæus in Indiæ citerioris partes peruenisse dicitur, ibiq; magna fiducia & libertate Euangelium docuit, & prædicatione sua tantum promouit per gratiam Dei, vt intra breue tempus omnis celebritas & cultus idolorum collaberetur, & veniret in contemptum. Erat enim tum temporis summa superstitio, & incredibilis quædam impostura Satanæ in eo populo. Nam in templis quibusdam idola erant, ex quibus palam responsa & oracula dabat diabolus sub prætextu veri Dei, ideoq; in illis locis frequentissimus hominum conuentus & concursus erat. Nam & male habentes curati sunt in iisdem locis arte Satanæ, tanquam beneficio veri Dei. Cæterum vbi cognitio Christi ex assidua prædicatione Bartholomæi innotescere populo cœpisset, non solum admiratio idololatriæ cadere cœpit in hominum animis, sed etiam ob-

mutescens Diabolus ilico, neq; loqui, neq; responsa dare, & curare infirmos pro veteri suo more amplius potuit. Itaq; cum ingrederetur templum quoddam Bartholomæus, in quo idolum Astaroth cognominatum colebatur, quod propter oracula, & curationem infirmorum celeberrimum erat, vt interrogatum ab hominibus, qui ex longinquo aduenerant, auxilij & consilij capiendi causa, nullum omnino responsum dare potuit. Porro causam silentij quærentibus alio in loco ab alio idolo quodam, ex quo item diabolus loquebatur, responsum est, propter præsentiam & nouam doctrinam hominis peregrini cuiusdam ipsum obmutuisse, & sibi quoq; ac alijs dijs regni idem periculum imminere, nisi in tempore hominem è suis finibus propellant. Proinde contrarijs & dissentientibus iudicijs ac sententijs animorum, alij probare Bartholomæum & eius doctrinam, alij rursus contemnere & palàm damnare cœperunt. Adfuit autem Dominus prædicationi Bartholomæi, eamq; signis & præsentibus miraculis confirmauit. Id vero indigne ferentes templorum præfecti, & Sacerdotes idolorum, odiosissime traducunt & accusant Bartholomæum ac eius doctrinam, apud regem Indiæ. Quòd homo peregrinus & impostor, arte magica

magica instructus, omnem veterem cultum deorum subuertat, & publicam tranquillitatem regni perturbet, & futurum esse, vt non solum deorum cultus & vetus religio, sed ipsius regis quoq; autoritas labefiat & prorsus intercidat, nisi homo ille peregrinus & impostor è medio quã primum tollatur. Hac persuasione grauiter accensus & commotus Rex misit, apparitores suos ad comprehendendum Apostolum Bartholomæum, & cum adduxissent eum, ait magna cum indignatione Rex: Tu ne es ille impostor, qui cultum & religionem deorum in hoc regno meo labefactare studes, & præterea fratrem meum euertisti doctrina tua? Erat enim frater regis conuersus ad Christum per prædicationem Bartholomæi, & filiam eius lunaticam sanauerat Apostolus. Ad quod respondit Bartholomæus. Ego non euerti fratrem tuum ô Rex, sed conuerti potius. Ad quod rex. Ego, inquit, ita te tractabo, vt sicut feciſti fratrem meum relinquere Deum suum, & tuo credere, ita tu quoq; deseras tuum Deum, & meo Deo sacrificia offeras. Cui Apostolus: Ego, inquit, Deum quem colebat frater tuus, obmutescere feci, & ostendi inane simulachrum esse. Quòd si ad eundem modum refellere poteris doctrinam meam de Christo, fa-

cile equidem in tuam sententiam cedam. Interea dum hæc ita minatur rex Bartholomæo Apostolo, nunciatur denuò per alios quosdam Regi, in multis alijs regni locis deorum cultum & simulachra item cecidisse. Quod vbi audiuit Rex præ nimia animi indignatione purpuram, qua erat indutus, discerpsit, & Apostolum fustibus cædi iussit, & cæsum viuum excoriari præcepit, tutatusq; est Bartholomæus confessionem Euangelij magna constantia, ad finem vitæ vsq;.

DE S. THOMA Apostolo.

THOMAM Apostolum, quem Didymum græci nominant, tribus Zebulon dedit, qua patria oriundum, quibus parentibus natum, certò non traditur. Vocatum autem cum ad agnitionem Euangelij & Apostolicam dignitatem, immensa saluatoris nostri misericordia, vel ex hoc luce meridiana clarius est, quod summam eius in fide hæsitantiam & imbecillitatem humanam, quæ potissimum ex historia Lazari & Christi rediuiui apparet, æquissimo animo tulerit, & quantum in se fuit, omnino tollere conatus

natus fuerit, quod ipsum quoq; tandem perfecit, cum ostensis Thomæ vulneribus & cicatricibus suis, post resurrectionem suam, DEVS ET DOMINVS salutatus est. Dispersis hinc inde per orbem terrarum Apostolis, Thomas in Parthiam sortitò abijt, conuersisq; ibi plurimis, & Episcopis atq; Sacerdotibus Ecclesiæ præfectis, Medos, Persas, Hircanos, Bracmanas & Bactrianos concionabundus peragrauit. Indiam quoq; vtramq; cognitione Christi implcuit: vbi Magos qui Bethlehem salutaturi Christum venerunt, ab eo baptizatos, & collegas in prædicatione Euangelij assumptos esse, Chrysostomus locuples auctor est. Deniq; cum statuam Solis adorare iuberetur, idq; ille non modo facere recusasset, sed & Cacodæmonem vt statuam confringeret, coegisset: sacerdotes eius Idoli, virum pium in caminum ardentem conijciunt, Vnde cum illæsus, quemadmodum tres apud Danielem adolescentuli, exiret, lanceis à circumstantibus idololatris transfixus est.

S. MATTHÆVS Apostolus.

MATTHÆVS Apostolus, tribu Leuita, filius Alphæi, publicanum diu egit, quod genus hominum inuisum Iudæis, vt addictum Romanis Ethnicis, suspectum etiam erat, tum auaritiæ ob exactionem vectigalium, tum infidelitatis, quasi plura, quam ius fasq; postularet, exigerent. Vocatus à Christo præter omnem suam expectationem, cum vectigali exercendo esset occupatus Marci 2. licet eum antea quoq; ab doctrinam, & vitæ probitatem atq; miracula adamasset, conuiuio splendido eum excepit Lucæ 5. Post ascensionem magistri sui in Iudæa diu subsedit, & populares suos Euangelij doctrinam fideliter & maximo zelo docuit. Abiens quoq;, manumentum suæ erga ipsos beneuolentiæ post se reliquit Euangelium, quod Ebraice scriptum, Euangelicæ historiæ hodie vocat Euangelium Iesu Christi secundum Matthæum, quo primus omnium præcipua Christi acta, & maxime insignes & arcanas conciones complexus est. Postea in Æthiopiam propagandi verbi diuini studio concessit, vbi exceptus hospitio cubicularij Regij à Philippo diacono conuersi, cum infinitos homines in salutari doctrina instituisset, idola sustulisset, & statuas atq; delubra omnia comminuisset, Magos, qui diuinis bono-

honoribus afficiebantur, præsligiarum commentisset, adolescentem regium à mortuis excitasset, & regem ipsum totamq; prouinciam Christo regi regum subiecisset: tandem Tyranni Hierarchi iussu, in communicatione sacræ Synaxeos, gladijs & lanceis transfixus & trucidatus est.

SANCTVS IACOBVS Minor Apostolus.

IACOBVS Apostolus, quem & minorem siue iuniorem, & iustum & fratrem Domini cognominant, patria Galilæus, tribu Iudæus, domo Cananæus fuit. Patrem habuit Cleopham Alpheum, Ioseph, cui mater Domini nupsit, vterinum fratre, m Matrem, Mariæ Deiparæ sororem, hoc est, fratriam (Sorores enim sacræ literæ nominant duorum fratrum quoq; coniuges) Fratres, Iudam Lebbæum & Simonem Cananæum Apostolos, & Iosen virum pium & sanctum. Quando aut quomodo ad munus Apostolicum à Christo vocatus sit, in Euangelica historica aperte non exprimitur. Constat tamen inter primos eum, & absque suis meritis sola Dei gratia vocatum esse, quemadmodum reliqui Apo-

Apostoli. Fuit autem corporis quoq; forma seruatori nostro quam simillimus: vt quidam patrum ideò Christum osculo à Iuda proditum existiment, ne per errorem hic Iacobus, noctu præsertim comprehenderetur. Magistrum suum amauit & coluit inprimis, neq; à latere eius post veritatem semel agnitam vnquam discesit. Et quanquam eum captum consternatione quadam subita vnà cum reliquis deseruit: tamen eius perfidiæ adeo ipsum pœnituit, vt ieiunium sibi ipsi indixerit, & omni esculento atq; poculento ad resurrectionem vsq; Christi abstinuerit: quod Hieronymus ex Ebræo codice transscriptum memoriæ prodidit. Cuius pietatis eum fructum tulit, vt Dominus suam erga ipsum beneuolentiam singulari apparitione declarauerit: cuius cum nusquam mentio fiat in historia Euangelica, & tamen D. Paulus eius rei auctor sit, non ineptè eruditi quidam viri concludunt, hunc Iacobum alterum fuisse discipulum, cui cum Cleopha Emauntha iter facienti, Christus se manifestauit. Post Christi in cœlos ascensum, cum cæteri Apostoli, condito Symbolo in diuersas orbis partes discederent, Iacobum Ecclesiæ Hierosolymitanæ Episcopum siue inspectorem supremum constituerunt: cui deinde annos plus minus triginta

triginta diligenter & piè præfuit. Quæ autem ipsius de iustificatione doctrina fuerit, non tam ex Epistola, quæ ab alio quopiam conscripta sub eius nomine legitur, quàm ex varijs noui testamenti libris, & præcipuè ex capite decimo quinto Actorum intelligitur. Extat ibi descriptio concilij siue Synodi, & primæ, & omnium quotquot vnquam fuerunt sanctissimæ, veræq; in Spiritu sancto congregatæ. Causa cogendi concilij erat quorundam hæreticorum improbitas, qui ad salutem consequendam legem Mosaicam & circumcisionem necessariam esse docebant. Quibus quam acriter restiterit, oratio, quæ eodem in loco legitur, euidenter ostendit. In qua Petro assentitur, censenti per gratiam Domini nostri Iesu Christi saluos nos fore: adiecitq;, abstinendum tamen esse gentibus ab inquinamentis simulacrorum, & scortatione, & suffocato & sanguine. Hanc doctrinam cum Pharisæi & proceres impij ferre non possent, & tamen Iacobi authoritatem maximam esse viderent, rogant eum vt populum hac falsa (aiebant) persuasione liberaret: omnemq; illam fabulam de diuinitate Iesu crucifixi confictam esse in ipso Paschæ festo fateretur. Quod si fecisset, futurum esse, vt & ipse maximam apud Optimates gratiam iniret, & respu-

respublicæ Iudæorum in varias factiones diuisa, rursus aliquando in vnam eamq; verissimam & antiquissimam religionem coalesceret. His precibus cum non aduersari se simularet, in turrim eum contiguam templo deducunt, & infinita hominum multitudine ex duodecim tribubus & vicinis gentibus coacta, palam interrogant, quæ eius de Iesu crucifixo sit persuasio. Tum ille præter eorum expectationem respondens, quid inquit, me, quid sentiam de Iesu filio hominis, rogatis, Ecce in cœlis sedet ad dexteram patris sui Dei Opt: Max: inde nouissimo die ad iudicandum rediturus est in nubibus cœli. Hac tam illustri confessione D. Iacobi cum non modo pij omnes mirum in modum confirmati essent, sed alij quoq; quam plurimi ad fidem Christi amplectendam impulsi, Pharisæi & summates acerbissimè indignati, in turrim euolant, & è fenestra, ex qua ad populum concionabatur, sanctissimum virum præcipitem exturbant, & humi iacentem lapidibus per suos è vulgi fece emissarios obruunt: Sic quoq; spiranti adhuc, & pro inimicis quoq; suis Deo supplicanti, adolescens impius, lanarius opifex, conto siue baculo, quo lanæ concinnari solent, caput perfregit. Quo vulnere sopitus est sanctissimus martyr, & ad beatam immor-

immortalitatem translatus, Anno post natum Christum sexagesimo tertio, Imperij Cæsaris Neronis septimo, sui Episcopatus plus minus triginta.

DE SIMONE ET Iuda Apostolis.

SIMON & Iudas Apostoli eodem in loco & tempore apud Persas passi sunt propter doctrinam Euangelij, ideoq; vtriusq; commemorationem coniunctam voluerunt olim maiores in Ecclesia. Exemplum sane memorabile est in vtroq;, pro confirmatione doctrinæ Euangelicæ, sed abusu & inscitia hominum imperitorum deprauatum est, sicut multa alia. Primum omnium quod ab vtriusq; vocationem attinet, satis constat eos ad Apostolatum per Christum vocatos esse, & in numero Apostolorum duodecim numeratos. Contigit autem illis hoc beneficium sine ipsorum meritis, ex mera & singulari gratia Dei per Christum, à quo ex impietate & tenebris ad lucem Euangelij, & cognitionem Dei vocati sunt. Porro post ascensionem Christi, cum iuxta præceptum Christi passim in toto orbe prædicarent

cârent Apoſtoli Euangelium, contigit Iudæ Apoſtolo primum in Meſopotamia & Ponto regionibus, Simoni vero in Ægypto Euangelium prædicare. Deinde per occaſionem ambo ſimul in Perſiam peruenerunt, vbi cum ſyncere & ſumma cum fide docerent Chriſtum, contra impietatem & idolatriam gentium, & ſuperſtitionem operum humanorum, concitauerunt in ſe Magos, ſic enim vocabant ſuos ſacerdotes Perſæ. Etenim hi indigniſſime ferebant, per nouam prædicationẽ Apoſtolorum de crucifixo Chriſto, ſuam autoritatem in populo eleuari, & plane reijci impium illum veterem cultum Deorum, quem ipſi pro ſumma religione tradebant vulgo, non ſine ingenti ſuo commodo & quæſtu. Et quia proſpiciebant impij illi ſacerdotes, futurum eſſe per prædicationem Apoſtolorum, vt ipſi deſtituti ſuis commodis & honoribus, quos ex cultu idolorum percipiebant, eſurirent tandẽ, inſtigarunt paſſim verbis & per Epiſtolas præfectos templorum, aduerſus Chriſti Apoſtolos, & effecerunt tandem immodico ſtudio & improbis ſollicitationibus ſuis, vt per publicum tumultum & ſeditionem oppreſſi ſint Apoſtoli, & interempti. Sunt qui Simonem crucifixum ſcribunt, ſed vtvt ſe res habeat, parum refert. Certum hoc eſt, quod

vterq;

vterq; pro confessione Christi & propter Euangelij prædicationem mortem sustinuerit. Est itaque in hoc exemplo confirmatio doctrinæ Euangelicæ, & bonorum operum. Docuerunt enim Christum, & in hoc sancto ministerio seruierunt proximo, suo pro suæ vocationis ratione. Neque enim vel Monachatus, vel aliorum portentosorum operum vlla mentio est in his exemplis, & veris narrationibus de sanctis, qui in Christum crediderunt, eumq; docuerunt, non humana opera, & hoc nomine etiam passi sunt.

DE S. MATTHIA Apostolo.

MATTHIAM Apostolum tribu Naphtalitam, patria Bethleemitam, ex primo Actorum Apostolicorum capite constat, fuisse vnum ex discipulorum numero, vocatum à Christo ad cognitionem Euangelij, cuius & Apostolus factus est, idq; sine suo merito, & cum nihil minus futurum esse speraret. Estq; hic locus valde consolatorius afflictis conscientijs, quæ facilius in tentationibus acquiescunt verbo Dei, cum audiunt omnes sanctos peccatores fuisse, & ex gratia Dei conuersos ad Christum, per quem

& seruati sunt. Porro quanquam ad apostolatum per Christum ipsum non est vocatus Matthias, tamen quia non humano iudicio, sed sorte iuxta voluntatem Dei delectus est, in locum Iudæ proditoris, & cooptatus est in numerum Apostolorum, præter suam & aliorum expectationem. Ideoq; hoc ipsum non minorem commendationem diuinæ gratiæ ac voluntatis meretur, quàm si à Christo ipso ad Apostolatum vocatus fuisset. Apostoli enim nihil in hac causa priuata autoritate agentes, rem omnem per orationem Deo commiserunt. Atq; ita contigit, vt sorte eligeretur Matthias in numerum Apostolorum. Cæterum post Pentecosten digressis Apostolis in alias atq; alias orbis partes, Matthias dicitur in Iudæa docuisse Euangelium. Sunt qui existimant ipsum in Ægyptum peruenisse, atque ibi Christum prædicasse, & tandem morte affectum. Sed hæc vt variant apud scriptores, ita incerta quoq; sunt. Illud autem certissimum est, quòd non docuit aliud quàm Euangelium Christi, iuxta mandatum Christi: Ite in orbem vniuersum, & prædicate Euangelium. Item: docentes eos seruare omnia, quæ ego præcepi vobis. Atque hoc etiam nomine Matthiam passum esse, & morte adfectum dubium non est, iuxta illud, quod Chri-

stus

stus ipse futurum esse Apostolis, atque adeo omnibus veris prædicatoribus prædixit, Matthæi 10. cap. propter confessionem nominis sui. Est igitur in tota historia Matthiæ confirmatio quædam doctrinæ & fidei nostræ in Christum, quem ipse prædicauit alijs, & per quem ipse seruatus est, sine suorum operum fiducia.

DE S. PAVLO Apostolo.

PAVLVS Apostolus, electum vas Dei, Doctor gentium, & Christianæ fidei in vniuersa Asia præco, tribu Beniamita, patria Giscalita fuit, quod oppidum est in Iudæa non incelebre, puer admodum à Romanis Iudæam infestantibus captus est, & vnà cum patre Tarsum, quæ Ciliciæ est metropolis, abductus. Postea cum Tarsenses, ob fidem in defectione cæterorum Cilicum seruatam, Ciuitatem Romam accepissent, vnà cum reliquis incolis Ciuis Romanus factus est. Adolescentulus Hierosolymam à patre ad legem Mosaicam accuratè cognoscendum mittitur, vbi sub Gamaliele Pharisæo magistro, tantum breui profecit, vt cæteros discipulos & coæquales longissimo post se interuallo relinqueret.

Itaq; cum Christianam sectam longe lateq; per totam Iudæam indies manare videret, Iudaico zelo incensus, vt legis auctoritatem assereret, Christianas persequi & quibusuis modis opprimere statuit. Quare accepta à magistratibus impijs potestate, quosuis isti sectæ addictos in vincula conjciendi & excruciandi, Damascum proficiscitur. Quo in itinere miraculoso modo à Christo ipso conuertitur. Qua de re & quòmodo se in in initio Christianismi gesserit, lege acta Apostolorum cap. 9. 10. & in sequentibus, vsq; ad finem totius voluminis, quod D. Pauli profectiones & conciones luculentissimè commemorat. Dicitur paulo post conuersionem cum socijs, pijs aliquot viris, peragrata Asia in Hispaniam vsq; peruenisse, plurimosq; salutari doctrina imbuisse, & Narbonensem Episcopum constituisse, discipulum quendam sibi cognominem: idemq; in compluribus Galliæ locis feciſſe. Inde Hierosolymam profectus accusantibus Iudæorum senioribus & pontificibus à Festo præside captus, & cum prouocasset ad tribunal Cæsaris, Romam missus est, vbi in carcere biennium detentus est; ita tamen, vt neq; aditus vlli ad ipsum negaretur, & ipse quotidie in docendo Euangelio perseueraret. Cruciatus pro Christi nomine constanter

pertulit

pertulit hos fere, quos ipse magna ex parte recenset 2. Corinth: 11. Philippis virgis cæsus, carceri inclusus, & verberibus ad mortem procarceri inclusus, & verberibus ad mortem prope multatus est: Iconcij lapidibus obrutus: Lystris & Thessalonicæ ad supplicium quæsitus & postulatus: Ephesi feris immanibus obiectus: Damasci fiscinæ impositus, & è mœnibus resti dimissus. Præter hæc Hierosolymæ captus, cæsus, fere discerptus, & deniq; coniuratione inita propemodum oppressus, Cæsaream missus, ibidemq; diu in vinculis ignominiose tractatus est. Demum cum nauigaret in Italiam, conuicijs iactatione maris & naufragio conflictatus est. Romæ in carcere multas Epistolas scripsit: & iuxta plurimorum sententiam Neronis Tyranni iussu, securi ibi percussus, beatam ad immortalitatem translatus est.

DE S. MARIA MAGdalena.

EXemplum Mariæ Magdalenæ dignum est, quod diligenter tractetur. Est enim mire cõsolatorium ad erigendas conscientias infirmorum hominum, qui sentiunt se esse peccatores, & non posse se suis operibus & iusticia conscientiæ

entiæ tranquillitatem coram Deo inuenire. Et hac cauſſa inſtitutũ quoq; eſt olim à maioribus, vt quotannis Magdalenæ exemplum tractaretur. Sed contigit in hoc exemplo, quod in multis alijs, quòd res vtilis & valde ſalutaris Eccleſiæ in turpem abuſum abijt, & degenerauit in fabuloſam quandam ſuperſtitionem, quæ non ſolum diuerſa eſſet à ſcripturis, ſed contraria etiam palàm apertis verbis Euangeliſtarum. Nos itaq; ſimpliciter vſum exempli Magdalenæ tractabimus, ſicut in Euangelicis hiſtorijs de ea ſcriptum eſt, vt certi aliquid diſcamus, quod ad noſtram conſolationem & inſtitutionem poteſt facere. Abuſum quoq; eiuſdem exempli breuiter indicabimus, propter aduerſarios noſtræ doctrinæ, vt intelligant homines pij, quantis mendacijs pro vera ſcriptura vſi ſint Monachi olim, ad decipiendas animas hominum propter ſuum quæſtum. Eſt autem certiſſima hæc ratio tractandi exempla ſanctorum, vt conſideremus primum illorum doctrinam & fidem, qua ſeruati ſunt. Vitam & opera conſiderare non debemus, nedum admirari, niſi quatenus ſunt fructus fidei, non ipſorum merita. Ad hunc modum propoſitum nobis eſt in Euangelicis literis exemplum Mariæ Magdalenæ Lucæ 8. cap.

Ait

Ait enim Euangelista, fuisse mulierem non vulgari infirmitati obnoxiam, sed obsessam septem dæmonijs, & liberatam à Christo. Primum itaq; nihil tribuit eius meritis, sed corporaliter etiam obsessam ait septem dæmonijs, vt notet extremam eius miseriam & calamitatem. Sic nos omnes ait Apostolus, natura filios iræ & damnationis esse, quanquam corporaliter non videmur obsessi à Diabolo. Iam verò sicut Magdalena sine suo merito liberatur per Christum, ita & nos quoq; eripimur ex regno & potestate diaboli, in qua sumus, quando per Christum baptizamur, & cognitione Euangelij illuminamur, vt credamus propter ipsum remitti nobis peccata, & liberari nos à morte. Magdalena itaq; credit ex misericordia Dei se seruari per Christum, & id significat Lucas, cum ait, eam sequi Christum & audire eius verbum. Nam hoc vnum est, quod à nobis qui Christiani sumus requiritur, vt maneamus in fide Christi, & exerceamus nos in studio & cognitione Euangelij, quamdiu viuimus. Porrò opera & fructus fidei non desunt in Magdalena. Non enim secura nunc desidet domi, & suas tantum voluptates curat, sed seruit Christo, & illi subsidium præbet de suis facultatibus, cum mulierculis alijs, quæ item sense-

runt beneficium Christi. Estq; insignis hæc commendatio bonorum operum, vt sciamus hanc magnam esse gratitudinem & beneficium, quod in iustificatis placet Deo, vt nostris operibus, quantum in nobis est, Euangelium conseruare apud posteros studeamus.

Porrò cum proficisceretur Christus Ierosolymam, sub tempus Paschatis, quo passus est, fuit vnà in eius comitatu Magdalena, & cum crucifigitur, adstat vnà cum Maria matre & dolet, & sepultum vngere vult emptis aromatis, vt erga mortuum Christum quoq; testetur amini grati significationem. Sed interim, sicut alij discipuli, ipsa quoq; in fide vacillat & infirma est: non potest enim sperare, vt resurgat Christus. Atq; hæc est communis infirmitas omnium piorum in tentatione. Sed quid fit? testantur Euangelistæ Christum deuicta morte iam resuscitatum, primum omnium se exhibuisse viuentem Mariæ Magdalenæ, de qua septem dæmonia exierant, vt ex hoc exemplo constet, Christi resurrectionem ad eos maxime pertinere, qui se grauissime sentiunt peccatis laborare. Proinde confirmata hac certitudine resurrectionis Christi, credidit Christum esse Dominum mortis & peccati, per quem solum contingat iusticia, remissio pecca-

peccatorum, & vita æterna. Et non dubium est, quin hanc fidem diligenti studio audiendi & discendi Euangelij aluerit vsq; in finem vitæ, & interea de suis facultatibus seruierit proximo, & inprimis discipulis, sicut antea Christo ipsi.

Hæc itaque tractatio exempli Magdalenæ consolatoria est, & ex Euangelicis literis sumpta, consentit cum doctrina fidei, quam etiam confirmat in animis nostris, vt sciamus exemplo Magdalenæ, nos omnes peccatores & damnatos esse. Deinde liberari nos per Christum. Tertio fidem hanc in Christum alendam & augendam esse studio audiendi verbum per totam vitam, & declarandum per opera charitatis, quæ sunt fructus veræ fidei. Quarto esse quidem nondum ab omni parte perfectos credentes, maxime vt persistamus in tentatione contra scandala, sed ibi consolatur Christus suos resurrectione sua, qua ascendit ad patrem, factus Dominus omnium in cœlo & in terra. Debemus itaq; merito gratias Deo agere, quòd habemus in Magdelenæ exemplo certitudinem nostræ fidei, & confirmationem nostræ salutis. Deinde orare quoque Deum debemus, vt donet nobis fidem, illuminet & conseruet nos in cognitione verbi sui, exemplo Magdalenæ huius, ne relicto

Christo, ad fiduciam operum nostrorum prolabamur.

Quod ad personam & genus Mariæ Magdalenæ attinet, non opus est scrupulosius singula inquirere, neq; enim hoc magnopere facit ad rem. Olim certe hac de re magna fuit dissensio. Sed quantum ex Euangelistis apparet, Maria Magdalena ex Galilæa fuit, vbi liberata quoque est per Christum à septem dæmonijs, id quod Matth. 27. vides. Atq; hinc constat satis eam non fuisse sororem Lazari Bethanienſis, de qua est Ioannis 11. & 12. Bethania enim non abest longius à Ierusalem, quàm stadijs quindecim, sita ad latus montis Olueti. Neq; verò fuisse Magdalenam hanc mulierem, quæ Christo pedes lauit, & profudit vnguentum in caput eius Lucæ 7. satis aperte constat ex ipsis verbis Euangelistæ, qui clare testatur, fuisse mulierem peccatricem in eo ipso loco seu ciuitate. Et aliam vnguenti profusionem & lotionem pedum factam esse à Maria, sorore Lazari & Marthæ, apparet ex 12. cap. Ioannis. Id quod commenti quidam sunt de arce Magdalon, quæ in diuidenda hæreditate cum Lazaro & Martha venit in sortem Mariæ, fabulosum est, præterea & ea omnia quæ habet Lonbardica historia seu aurea

legen-

legenda sanctorum de Maria Magdalena, fictitia sunt. Dixerunt enim post ascensionem Christi à Paulo Apostolo commissam esse Magdalenam Maximino cuidam, ex septuaginta duobus discipulis, & cum illo nauigio peruenisse propter persecutiones in Christianos in Massiliam vrbem, ibiq; publice docuisse & miracula fecisse. Præterea Lazarum fratrem eius in eadem vrbe Episcopum factum. Postea illam triginta annis in eremo pœnitentiam egisse, & nullo pane aut cibo, sed tantum syluestribus herbis vsam esse, & indies septies sub tempus septem horarum Canonicarum ab Angelis in aëra sublatam cum magno gaudio, & id tandem resciuisse piumquendam sacerdotem etiam in eremo viuentem, & expletis triginta annis, sub finem vitæ suæ esse Mariam Magdalenam ab Angelis deportatam in templum illud, & palàm eleuatam ab Angelis à terra, stetisse in ipso choro & subsellijs sacerdotum, vbi tunc fuit Maximinus, & ibi tum procumbentem ante altare sumpsisse corpus dominicum, & statim eodem illo tempore momento esse mortuam. Hæc omnia stulta partim & absurda, partim etiam vehementer impia sunt. Ridiculum enim est & stultum de sancto Paulo & Maximino, & omnia illa de nauigatione. Et

docere

docere mulierem non permittit in Ecclesia Paulus. Porrò quod per triginta annos in locis desertis pœnitentiam egerit pro peccatis, manifeste impium est, & pugnat cum omnibus illis, quæ de Magdalena scripta sunt in Euangelijs. Præterea cibos vitare, quos creauit Deus sumendos cum gratiarum actione, doctrina dæmoniorum est 1. Timothæo 4. Et ad Colos. 2. capite damnat Paulus istam religionem, qua corpus læditur, & suo debito honore priuatur. Sed quid opus est singulatim hæc omnia refellere? Duo videtur quæsiisse vel calliditas Sathanæ, vel impudentia quorundam, qui harum fabularum authores sunt, vt hoc pacto hominum animis fucum aliquem facerent, & commendarent horas Canonicas, & missæ sacrificium. Cæterum iam per gratiam Dei Euangelio reuelato cernitur palàm, quàm impudens hoc fuerit mendacium, quo tum interea temporis, quando potestas fuit principis tenebrarum, toti orbi est impositum. Proinde ingentes gratiæ agendæ sunt Deo, quòd reiectis fabularum mendacijs, verum vsum exempli Magdalenæ ex Euangelicis historijs denuo cognoscimus.

Exem-

EXEMPLA SELECTIORA sanctorum Patrum & Episcoporum veteris Ecclesiæ, ex historia Ecclesiastica & Tripartita.

DE SANCTO POLYCARPO discipulo Apostolorum.

POLYCARPVS Smyrnensis Ecclesiæ Episcopus fuit, & omnibus Episcopis sui temporis in Asia singulari doctrina & authoritate sua antecelluit. Natura ingenio sedato & moribus placidissimis fuit. In docendo Euangelio ratione & methodo simplicissima vsus est. Nam hoc solum conari solebat, vt ab Apostolorum doctrina, & forma sanorum verborum scripturæ, ne tantillum quidem discederet. Proinde hoc suo exemplo & hac ratione in docendo plurimum profuit Polycarpus, non solum Smyrnensium Ecclesiæ, sed totius Asiæ Ecclesijs. Nam hæ secutæ sunt hunc morem Polycarpi in tractandis rebus sacris. Et quia syncere & fideliter docuit Euangeli-

gelium, ideo acerrimos hostes habuit Valentinum & Marcionem hæreticos, cum quibus grauissima ei sæpe conflictatio fuit pro defensione Euangelij. Et cum videret eos pertinaciter impios esse, & blasphemos in Christum, neq; spem aliquam esse post tot admonitiones, vt redirent in viam, summopere vitare studuit consuetudinem Valentini & aliorum hæreticorum, idq; exemplo Ioannis Apostoli, qui cum apud Ephesum balnea lauandi gratia fuisset ingressus, videssetq; ibi Cherintum, discessit continuo non lotus, dicens: Fugiamus hinc, ne balnea ipsa corruant, in quibus lauat Cherintus, veritatis inimicus? Idem prorsus Polycarpum fecisse ferunt. Nam cum Marcioni aliquando venisset obuiam, dicenti sibi, Agnosce nos Polycarpe, respondi, Agnosco, sed primogenitum Sathanæ. Etenim tunc Apostoli, atq; eorum discipuli, tanta sollicitudine & studio in religione vtebantur, vt ne verbi quidem communionem cum aliquo eorum, qui à veritate deuiauerant, habere vellent, idq; haud dubie ex præcepto Christi, & consilio Pauli, qui rectissime docuit, post vnam atq; alteram admonitionem hærcticum hominem vitandum esse. Porrò non concionando solum, sed scribendo etiam studuit Polycarpus prodesse Ecclesijs, existimans haud

haud dubie vtrumq; hoc ad veri Episcopi munus pertinere. Extat enim Epistola Polycarpi ad Philippenses scripta, in qua doctissime & grauiter formam quandam Christianæ doctrinæ & vitæ expressit. Sed hæc de officio Polycarpi in Episcopatu dixisse satis sit. Quando vero sub Antonino Cæsare de multis Christianis ob professionem Euangelij supplicium sumptum est in Asia, & plurimorum exempla iam testarentur, Christianorum gentem magna constantia subire mortem, conclamatum est per publicum tumultum de requirendo Polycarpo, vtpote magistro huius nouæ sectæ, & qui suis persuasionibus animaret alios ad constantiam in ferenda morte. Polycarpus itaq; primo quidem cum audiret vulgus in se acclamationibus excitatum, in nullo penitus commotus est, sed mansit impauidus. Et cum in eadem illa ciuitate interritus permanere vellet, acquiescens tamen deprecantibus se familiaribus suis, in agrum quendam ciuitati proximum secedit, atq; ibi cum paucis die noctuq; nihil aliud agit, quàm quòd in orationibus permanet, pro pace Ecclesiarum, quæ vbiq; sunt, supplicans Deo. Nam hic mos erat ei, vt orationi quam plurimum vacaret. Accidit enim aliquando, quòd cum publica quædam seditio & tumul-

tus

tus esset exortus, ipse pro suo more accinxit se orationi pro pace reipublicæ, & deinde progressus in conspectum multitudinis, facundia sua, quæ in eo singularis erat, tumultum compressit. Cæterum iam in oratione positus Polycarpus, ante triduum quàm comprehenderetur, visionem vidit per noctem: Ceruical capitis sui flammis esse consumptum. Cumq; euigilasset post visum, interpretatus est astantibus fratribus suis somnium suum, dixitq; pro certò, se propter Christum per ignem vitæ exitum sortiturum. Imminente igitur quæstione, rursus charitate fratrum compulsus commigrauit in alium locum, quò non multò post inquisitores eius peruenium, cum iam declinaret dies. Et ingressi ipsum quidem offendunt in superioribus quiescentem, quod vbi animaduertit, aufugere noluit, dicens, voluntas domini fiat. Quinimo cum comperisset adesse comprehensores suos, in occursum eis progressus, læto admodum vultu ac placido sermone compellare viros cœpit, ita vt non parum illi mirarentur & stuperent, quid tantum studij fuerit, vt vir illius grauitatis & honestatis, in tam longæua ætate & tanta vitæ authoritate positus, perquiri & comprehendi iussus sit. Sed ille nihil moratus, continuo apponi mensam hostibus

stibus tanquam hospitibus iubet, atq; eis epulas largius ministrari, idq; duplici de caussa, vt exhiberet beneficium etiam hostibus suis, iuxta Christi præceptum, deinde vt vnius horæ spacium orationis gratia ab eis impetraret. Orabat enim tanta Dei gratia repletus, vt admirarentur omnes, qui aderant, & ipsi qui ad comprehendendum cum venerant pœnitentia ducerentur, quòd tam honestum virum ac Deo dignum, & ipsa ætate venerabilem, rapere iuberentur ad pœnam. Postea verò quam finiuit orationem, & instante iam hora, progreditur, & asino iam insidens ad ciuitatem ducebatur, cum esset dies magni Sabbathi. Aduenienti ei occurrit præfectus Herodes nomine, & pater eius Nicetas, qui leuantes eum secum in vehiculum, persuadere sedulo conabantur, dicentes: Quid enim mali aut periculi est, dicere Deum Cæsarem, & immolare, & de cætero securum viuere? Polycarpus vero hæc primo tacitus audiuit, sed vbi persistebant, ait ad eos: Quid opus est multis? non sum facturus quod exigitis. At illi postquam nihil se proficere senserunt, indignatione commoti cum contumelia eum vehiculo deturbant, ita vt pedem læderet præceps actus. Sed dissimulata iniuria illa, alacriter pergebat adsta-

dium, quò duci fuerat imperatus. Et cum iam peruenisset ad proconsulem, qui ei rei præfectus erat à Cæsare, interrogatur ab eo, an ipse esset Polycarpus. Se esse confitetur. Ergo, inquit, habeto ætatis tuæ reuerentiam, & parcens vltimæ senectuti tuæ, iura fortunam Cæsaris, & dic in Christum conuitia & dimitto te. Respondit ad hæc Polycarpus. Sex & octoginta anni sunt, quibus seruio Christo meo, qui nunquam vlla in re de me male meritus est, & quomodo obsecro nunc illi maledicere & blasphemare regem meum queam, qui salutem mihi dedit? Cumq; rursum vehementius vrgeretur, vt fortunam Cæsaris iuraret: Si hanc, inquit, iactantiam quæris vt ego fortunam Cæsaris iurem, & quis sim ignorare te simulas, cum omni libertate audi à me, quia Christianus sum? Si verò rationem vis Christianæ religionis accipere, statue diem & audi. Proconsul dixit. Vides ingenti tumultu concitatum in te populum esse, ideoq; tu suade hoc populo, vt consentiat. Respondit Polycarpus, tibi quidem respondi. Docemur quidem principibus & potestatibus ijs, quæ à Deo sunt, honorem deferre, eum scilicet, qui religioni non sit contrarius, populo autem furenti satisfacere non est meum. Proconsul dixit. Bestias paratas habeo

habeo quibus obijcieris nisi cito pœnitueris. At ille respondit, adhibeantur, nobis enim inmobilis stat sententia. Nec possumus de bono ad malum per pœnitudinem commutari. Melius autem erat si hi mutarentur ad bona, qui perseuerant in malis. Tunc proconsul, igni te, inquit, faciam consumi, si tibi bestiæ comtemnendæ videntur, nec proposiți recipis pœnitudinem. Ad hæc respondens Polycarpus inquit, ignem minaris hunc, qui ad momentum incenditur, & paulo post extinguitur, quia ignoras futuri iudicij æternum ignem, qui ad perpetuas pœnas impiorum præparatus est. Sed quid moraris? Adhibe vtrum voles. Mihi quidem ne grauiora etiam pro gloria Christi ferre difficile erit. Hæc & multa alia his similia dicens Polycarpus, confidentia simul & lætitia replebatur, ita vt alacritatem vultus eius responsionumq; constantiam proconsul maximo stupore admiraretur. Missa igitur Curione ad populum, iubet voce maxima protestari, Polycarpum constanter confessum Christianum se esse. Tum vero vniuersa multitudo tam gentilium, quàm Iudæorum Smyrnensium ciuitatis cum ingenti furore clamauit, tollendum plane è medio, & igni subijciendum esse: Nam hic est, inquiunt, totius Asiæ doctor &

pater Christianorum, & huius culpa fieri, quod vetus religio, & iam olim receptus cultus Deorum collabatur. Extructus est itaq; rogus, lignis celeriter, vel de balneis, vel de alijs publicis quibusq; locis allatis, præcipue per Iudæos, qui ardentius ad hæc, pro more suo, ferebant. Tum verò depositis senior indumentis, ac zona resoluta, calciamenta quoq; pedibus tentabat educere. Vt ergo expedita sunt quæ ad ignem pertinebant, cum eum vellent rogo impositum etiam clauis affigere, ait, sinite me. Qui enim dedit mihi ignis suppliciũ ferre, dabit vt & sine clauorum affixione flammæ immobiliter perferam. Tum illi omissis clauis, vinculis vsi sunt solis, quibus post tergum manibus reuinctis, velut electus aries & ex magno grege assumptus, acceptabile holocaustum omnipotenti Deo oblatus est. Aiunt autem hanc fuisse vltimam orationem, quam ad Deum habuit, priusquam ex hac vita excessit Deus dilecti & benedicti filij tui Iesu Christi pater, per quem tui agnitionem suscepimus, Deus Angelorum & virtutum & vniuersæ creaturæ, & totius iustorum generis, qui omnes coram te viuunt, benedico te, qui me in hanc diem atq; in hanc horam perducere dignatus es, vt particeps existerem martyrum & calicis Christi

tui

tui, in resurrectionem vitæ æternæ, animæ ac Spiritus mei, per incorruptionem Spiritus sancti, in quo suscipiar hodie in conspectu tuo, tanquam pingue sacrificium & acceptabile, quod à multis iam seculis præparasti tibi. Verus es tu & sine mendacio Deus, propterea & in omnibus laudo te, & benedico te, & glorifico te per æternum Deum & Pontificem Iesum Christum dilectum filium tuum, per quem & cum quo tibi cum Spiritu sancto gloria nunc & in infinita secula seculorum, Amen.

DE COINTHO, QVI PARum constans Martyr fuit.

ACCIDIT eodem tempore, quo passus est ob Euangelij de Christo confessionem Polycarpus Episcopus, quòd Cointhus quidam natione Phryx, qui non multò antea de suis regionibus aduenerat in Asiam, sua sponte obiecit se paratis supplicijs in Christianos. Siue enim pietatis quodam zelo, siue humana quadam præsumptione adductus, constituit fortissimo animo pro Christi nomine, quoduis tormenti genus subire & perpeti. Primum itaq; cœpit bestias, cæ-

teraq; tormenta sponte lacessere, deinde veluti fractis animis cedere, tandem etiam salutem segnitia prodere,. Nam absterritis horrendo spectaculo suppliciorum, turpiter abnegauit confessionem Christi, & cultum idolorum imminentis pœne formidine approbauit. Testabatur igitur hic euentus eum ad Martyrium procacia potius ac temeritate quam constantia & certitudine fidei prosiluisse. Ipse namq; sese iudicijs ingesserat sine necessitate, & non requisitus à iudicibus. Proinde victus omnibus exemplum euidens dedit, cautius in rebus talibus & circumspectius agendum esse, quia non temeritas & præsumptio, sed fides & modestia in cruce persistit, & tandem coronatur. Etenim Pauli Apostoli & aliorum sanctorum exempla in scripturis testantur, quòd per occasionem sæpe cesserint furori impiorum, & non temerè coniecerint se in pericula, præter necessitatem.

DE POTAMIENA Virgine.

ORIGENES *apud Alexandriam diligenter & pie admodum in Catechismo docendo, frequentem & famosam scholam habuit.*

Erat

Erat enim illis temporibus hic mos in Ecclesia, vt in bonis literis discendis, & in cognitionem pietatis recte institueretur iuuentus. Proinde habuit Origines inter reliquos suæ scholæ auditores & discipulos nobilem quandam puellam, cui Potamiena nomen erat, ingenio & pietatis studio insignem. Etenim vt de castitate morum & pudicitia nihil dicam, quæ in ea singularis erat, nemini discipulorum siue ingenium siue doctrinam spectes, cessit. Sed quia illis temporibus magna atq; crudelis persecutio erat in Christianos, Aquila Tyrannus tum Alexandriæ & summus hostis fidei Christianæ, iussit Potamienam discipulam Originis in ius vocari. Indigne enim ferebat nobilissimam puellam ad Christianæ religionis professionem desciuisse, & Deorum cultum receptum iam longa consuetudine improbare. Itaq; morti eam adiudicauit, iussitq; omni genere contumeliæ atq; crudelitatis affici. Neq; enim satis erat illi vnum aliquod supplicium, nam curarat impurus & sceleratissimus princeps, vt essent etiam qui moderatissimæ & castissimæ puellæ pudicitiam attentare conarentur. Sed id tum ne fieret prohibuit ex carnificibus quidam, cui Basilides nomen erat, nam hic omni vi, ne tanta in ipsam turpitudo committeretur,

restitit. Tandem verò cum iam probris, conuicijs & maledictis plurimorum probe exagitata esset, carnifices ad voluntatem & in gratiam Aquilæ Tyranni, picem calidam per artus ac membra omnia ipsius diffuderunt, atq; ita in constanti confessione fidei, alacri vultu & imperterrita expirauit.

DE APOLLONIA virgine.

DIONYSIVS Alexandrius Episcopus, ad Fabianum Antiochenum Episcopum scribit, multos ob Christiani nominis professionem passos esse apud Alexandriam, temporibus Decij Imperatoris. Etenim præter Imperatoris mandatum de perdendis Christianis, magus quidem & sacerdos idolorum persuasionibus suis ita commouit superstitiosum vulgus Alexandrinum contra Christianos, vt nihil aliud sitiret, quàm piorum sanguinem, atq; hunc furorem impiæ multitudinis auxit mandatum Imperatoris Decij. Itaq; palàm grassati sunt Alexandrini in Christianos, adeo etiam, quòd nemini qui profitebatur nomen Christianum, tutum erat eo tempore persecutionis exire in publicum. Porrò inter mul-

multos alios, qui crudelissimis supplicijs adfecti sunt propter Christum, corripuerunt homines impij & insani Apolloniam, virginem longæuæ ætatis, & pietatis admirandæ, huic primo omnes dentes effoderunt, deinde congestis lignis extruxerunt rogum, comminantes se eam incensuros, nisi cum ipsis pariter impia verba proferret, & idolorum receptum cultum approbaret. At illa nihil minus se facturam dixit, & simul intrepide ad ignem, quem minabantur, accessit vltro, expetens pro gloria Christi mortem subire, ita vt per terrerentur etiam ipsi crudelitatis authores, quòd promptior inuenta est ad mortem fœmina, quàm persecutor ad pœnam.

DE MARINO martyre.

GRAVIS persecutio extitit in Christianos temporibus Valeriani Cæsaris. Is enim primum amplexus doctrinam Euangelij, amare & fouere solebat Christianos, sed postea per doctorem quendam impium, & magistrum ac principem Ægyptiorum magorum seductus, iussit Christianæ religionis sectatores perdi & interimi.

terimi. Proinde in his persecutionibus Valeriani apud Cæsaream Palestinæ, multa à diuersis martyria consummata sunt, inter quos vir militaris, & ciuis Ierosolymitanus fuit, cui Marinus nomen erat, huic in vrbe Cæsarea inter collegas suos per ordinem gradus sui cum dignitas quædam militaris deferretur propter virtutem, inuidia statim subit in ipsius collegam proximum, quod indigne ferebat Marinum sibi anteferri. Exclamauit igitur non posse Marinum adipisci superiorem grădum, eò quod Christianus esset. Interrogatur à iudice Marinus, si ita res se haberet. Ille ita esse, & verè se esse Christianum clarissima voce testatur. Decernit iudex vt intra trium horarum spacium deliberet secum, an velit immolare Dijs & Imperatori, an Christianus interimi. Cumq; à tribunalibus fuisset egressus, Theotecnus Episcopus loci apprehensa manu eius perducit eum ad Ecclesiam, ibiq; multis verbis eum confirmans in fide, ad ipsum altare tandem perducit, gladiumq; suum, quo erat præcinctus, ostendens ei, & rursus offerens Euangelium, interrogat vtrũ è duobus mallet, an momentaneam illam dignitatem militarem eligere, an pro gloria Christi mortem oppetere. Atqui verò Marinus promptissima fide cum manum

ad

ad Euangelium tetendisset, obtine, inquit Teotecnus, quod elegisti ô fili, & contemnens præsentem vitam, æternam sperato. Confidens perge, & suscipe coronam, quam tibi Dominus præparauit. Reuersus continuò ad tribunal, euocatur per præconem. Aderat enim iam destinatum trium horarum tempus. Ille verò nec moras patitur, nec expectat interrogantem, sed continuò sibi & deliberatum asserit, & ex paternis legibus confirmatum, quòd Deo obtemperare magis oporteat, quàm hominibus. Proinde illico pronunciat iudex illum capite puniendum pro tali responsione.

DE PETRO martyre.

QVanquam Diocletianus Imperator crudelissime insectatus est Christianos, tamen inter ipsos aulicos ministros fuerunt, non solum qui amabant doctrinam Euangelij, sed qui in eius cognitione optimè & piè instituti erant. Atq; ex illorum numero Dorotheus erat, qui præerat cubiculo Imperatoris. Sodales hic habuit Petrum & Gorgonium in officio. Porro cum iam ageret Diocle-

Diocletianus apud Nicomediam, ibiq; sæuissimo edicto publicato contra Christianos, crudelissima quæq; supplicia intentaret omnibus Christianam fidem profitentibus, cœpit Petrus palàm improbare impietatem & tyrannidem Cæsaris, cuius iussu statim eductus est in medium, eique mandatum est autoritate & nomine Imperatoriæ maiestatis, vt dijs immolaret, & doctrinam de Christo contemneret. Quod cum facere recusat Petrus minister Cæsaris, ilico imperatur appendi, & flagris toto corpore laniari, videlicet vt doloris vehementia adactus faceret, ad quod verbis & mandato Cæsaris adduci se vltro non sustinebat. At ille cum maneret in sententia animi sui immobilis, visceribus iam pelle nudatis, iubetur aceto ac sale perfundi. Cumq; etiam hoc tormenti genus constanter ac fortiter toleraſſet, craticula prunis subterstrata poni iubetur in medio, ibiq; quod reliquum fuerat in verberibus absumpti corporis superponi, & non subito, sed sensim paulatimq; succendi, quo scilicet pœna diutius differretur. Cumq; ministri scelerum hinc modò corpus, modò inde versantes, per membra singula pœnas inciperent, & supplicia renouarent, sperantes ab eo elicere se posse consensum, ille firmius in fide & plane

quans

ouans in spe, consumptis iam & igne resolutis carnibus suis, vltimum spiritum in fide lætus exhalat. Tali Petrus aulicus & minister familiaris Diocletiani Cæsaris, martyrio decoratus, verè Petri Apostoli extitit & fidei hæres, & nominis. Porro Dorotheus & Gorgonius, cum Petrum in cummuni fide & officio simul socium suum, tam crudelibus atq; immanibus & barbaris supplicijs cruciari viderent, constanter & libere adeunt Cæsarem: Cur punis, inquiunt, Imperator in Petro fidem & mentis sententiam, quæ in nobis omnibus eadem est? Vt quid in illo crimen ducitur, quod nos omnes ex æquo profitemur? Hæc enim fides nobis, hic cultus, & eadem sententia est. Imperator nihil hac libertate suorum familiarium in confitendo Christo commotus, iussit illos quoq; in medium venire, ac similibus penè supplicijs adfectos, tandem laqueo appensos necari demandauit.

DE PHILEA EPISCOpo in Ægypto.

EODEM hoc tempore Diocletiani Cæsaris, quanta crudelitate sæuitum sit in Christianos

nos apud Thebaida, & in Ægypti partibus, id omnem narrationem & fidem superat. Testatur enim Eusebius, se in Ægypto suis oculis inspexisse, quòd sedenti pro tribunalibus sæuissimo præsidi, offerrentur innumeri fidelium populi, quos ille singulos per ordinem confessos se Christianos esse, capite plecti iubebat. Videbam inquit Eusebius, fessos residere carnifices, vires resumere, animos reparare, mutare gladios, diem quoque ipsum non sufficere ad pœnam. Nullus tamen ex omnibus, ne paruulus quidem infans, deterreri potuit à morte. Sed hoc singuli paueſcebant, ne forte dum properum sol vergens diem clauderet, separatus à consortio martyrum remaneret. Sic confidentia fidei, constanter & cum lætitia mortem præsentem, velut æternæ vitæ principia rapiebant. Deniq; dum priores quiq; iugularentur, reliqui non desidiæ aut torpori animos indulgebant, sed psallentes & hymnos Deo canentes, locũ quisq; sui martyrij expectabat, vt hæc agentes, in Dei laudibus extremos etiam spiritus exhalarent. Neq; vero mirum fuit, hanc tantam turbam Christianorum tali constantia mortem oppetijsse pro gloria Christi. Nam Episcopum & doctorem talem habebant in Euangelio, qui doctrina & vitæ exemplis ipsos in omnibus parabat.

bat. Erat autem illi nomen Phileas, & fuit Episcopus vrbis illius, quæ appellatur Thimus. Quod ad pietatem attinet, summus erat in cognitione Christi, quòd ad personæ & generis commendationem, nobilis ciuis Romanus erat, & qui primis in Romana republica honoribus fuerat functus. Eruditione quoq; liberalium literarum, & omnibus quæ ad animi virtutem pertinent exercitijs, apprimè instructus. Theologiæ studiö, quod præcipuum est, & anteponendum omnibus, ita se addixerat, vt omnes qui præcesserant, longe anteiret. Cumq; plurimos propinquos & consanguineos nobiles viros in eadem vrbe haberet, frequenter ad præsidem ducebatur, vt eius monitis acquiesceret, & tot tantisq; propinquis exorantibus respectum haberet vxoris & liberorum suorum, neq; ita pertinaciter in cœpta præsumptione persisteret. Ille vero instar rupis immobilis, quæ vndiq; fluctibus alliditur, constans garrientium dicta respuere, animum ad cœlum tendere, Deum in oculis habere, parentes & propinquos sanctos Martyres & Apostolos ducere. Aderat tum forte vir quidam, qui præerat turmæ Romanorum, Philoromus nomine. Qui cum videret Phileam Episcopum lachrymis propinquorum & præsidis calliditate

fati-

fatigari, nec tamen flecti aut infringi posse, exclamabat. Quid inaniter & superflue constantiam viri tentatis? Quid eum, qui fidem Deo seruat, infidelem vultis efficere? Quid cum cogitis negare Deum, vt hominibus acquiescat? Non videtis quòd aures eius verba vestra non audiunt? quòd oculi eius lachrymas vestras non vident? Quomodo potest terrenis lachrymis flecti, cuius oculi cœlestem gloriam aspiciunt & contuentur? Post hæc dicta cunctorum ira in Philoromum versa, vnam eandemque eum cum Philea subire sententiam poscunt. Quibus libenter annuens Iudex, vtrumq; plecti capite iubet.

DE DOROTHEA VIRgine Alexandrina.

QVando Maxentius Romæ Tyrannidem exercuit, eodem tempore in orientis atq; Ægypti partibus Maximinus Cæsar simili per omnia crudelitate & vesania Tyrannidem gerebat, ita vt alter alterum, vtpote in Tyrannide socius, etiam in sceleribus videretur imitari. Maximinus etiam in hoc præire & vincere videbatur Maxentium socium sceleris, quòd publicos & maximos honores magistris impijs, perueršis

uersis doctoribus & malarum artium peritis decernebat, ideoq; grauior persecutor fuit Christianorum, quàm Imperatores superiores. Neq; enim vel pietatis vel ciuilis modestiæ vllam rationem habuit. Vitiabat enim honestas Matronas et puellas sine vllo delectu, passim in omnibus vrbibus & oppidis. Atqui vero cum duobus his grauissimis dominis, libidine & crudelitate, præceps ageretur, accidit forte, quòd esset apud Alexandriam Dorothea virgo satis nobili famlia orta, ingentibus diuicijs & nobilitate propinquorum clara. Formæ vero & decoris gloria tanta in ea fuit, vt mirum & speciale quoddam Dei figmentum in ea crederetur. Sed illa, quæ animi pietate & vitæ modestia pulchrior, quàm vultu corporis esse studeret, æquissimo mentis iudicio, quod pulchrum & decorum inter homines videbatur, id potius Deo consecrare, quàm vsui humano statuit indulgere, vt virgo Deo consecrata persisteret, & per totam vitam suam studio pietatis vacaret. Neq; vero tum temporis stultissima illa ratio Monasticorum votorum fuit recepta, sed qui hoc Dei donum habebant, sua sponte cœlibes manebant, sine vllius voti accessione, vt eo commodius incumbere possent studijs sacrarum literarum, & seruire Ecclesiæ in

Cæterum Maximinus Tyrannus, qui omnia diuina atq; humana, libidine simul & crudelitate fœdabat, cognito non solum formæ, sed etiam ingenij ac propositi bono, ad contemerandam virginem ac polluendam eius castitatem animum intendit. Sed vbi comperit quòd Christiana esset, quæ secundum sua edicta pœnæ magis quàm libidini subijcienda videretur, in ambiguo positus æstuare cœpit & in quam se partem verteret ignorabat. Sed vbi dubios animos libido quæ, ci latius dominabatur, obtinuit, expectantem virginem pro Christi confessione ad supplicia rapi, per occultos nuncios de stupro interpellauit. Illa æque nephas sibi esse respondit, templum corporis sui idolorum cultu & libidinis contagione polluere. Proindè se quidem ad mortem paratam esse, à crudeli vero Tyranno non decere blandum aliquid aut molle proferri, nec esse dignum resolui erga se truces animos, quos quotidie vndatim Christianorum profusus cruor duraret. Ad quæ responsa cum ille libidine accensus acrius incalesceret, & nisi verbis acquieuisset, vi agere constituit, Propterea Dorothea virgo omnibus facultatibus suis, domo & familia derelictis noctu clam cum paucis fidissimis famulis, & cum amicissima sibi comite castitate

descedit, atq; illusum Tyrannum vanum amentemq; dereliquit. Memorabile profecto hoc est exemplum Dorotheæ virginis, quod nos non solum cognoscere & amare conuenit, sed imitari etiam, si exigat occasio. Testatur enim habuisse olim Christianos magnam rationem honestæ vitæ, ne doctrinam Euangelij & spiritualem libertatem conscientiarum, carnali aliqua licentia, & fœdis cupiditatibus contaminarent.

DE LVCIANO ANtiocheno presbytero.

LVcianus Antiochenus presbyter, ex Maximini Cæsaris præcepto adductus est ad tribuna iudicis. Vir erat pietate insignis, eruditione & continentia ac honestate morum præcipuus, & qui propter præclaras virtutes suas omnibus admirationi erat. Cum itaq; adductus esset ad Iudicem, Cur inquit, ad eum præses, vir prudens & diserte sequeris illam sectam, cuius non potest rationem reddere? Aut si aliqua ratio vestræ doctrinæ est, eam audientibus nobis in medium profer. Tum ille data sibi facultate dicendi huiuscemodi orationem de fide nostra ha-

buisse dicitur. In occulto non est, quòd nos Christiani quem colimus, Deus vnus est per Christum nobis annunciatus, & per Spiritum sanctum cordibus nostris inspiratus. Non enim sicut vos putatis, humanæ alicuius persuasionis errore constringimur, nec indiscussa (vt alij) parentum traditione decipimur. Autor nobis de deo Deus est. Neq; enim posset sublimis illa maiestas sensibus humanæ mentis illabi, nisi vel Spiritus sui virtute delata, vel verbi ac sapientiæ suæ interpretationibus indicata. Fateor, erraui-
mus etiam nos aliquando, & simulachra, quæ ipsi finximus, deos cœli ac terræ putabamus autores, sed arguebat eos fragilis substantiæ suæ à nobis præstita consecratio. In quibus tantum venerationis inerat, quantum decoris manus contulisset artificum. Verum omnipotens Deus, quem non nostris manibus fictum, sed cuius nos decebat esse figmentum, errores miseratus humanos, sapientiam suam misit in hunc mundum carne vestitam, quæ nos doceret, Deum qui cœlum fecisset & terram, non in manufactis, sed in æternis atque inuisibilibus requirendum. Vitæ etiam leges & disciplinæ præcepta constituit, seruare parsimoniam, paupertate gaudere, mansuetudinem colere, studere pati, puritatem cordis

amplecti, patientiam custodire. Quin etiam omnia hæc, quæ nunc aducrsum nos geritis, ventura nobis esse prædixit, educendos nos ad reges, & ante tribunalia iudicum statuendos, æc velut victimam iugulandos. Inde est deniq, quòd & ipse qui immortalis erat, vtpote verbum & sapientia Dei, morti se præbuit, quo nobis in corpore positus, patientiæ præberet exemplum. Sed nec nos sua morte decepit, quibus post tertium diem resurrexit. Etenim innocens, immaculatus & purus, ad hoc solum mortem susceptit, vt eam vinceret resurgendo. Quæ autem dico, non sunt in obscuro gesta loco, neq, testibus indigent. Pars penè mundi iam maior huic veritati adstipulatur, vrbes integræ, aut si in his aliquid suspectum videtur, contestatur etiam de his agrestis manus ignara figmenti. Si minus adhuc creditur, adhibebo vobis etiam loci ipsius, in quo res gesta est, testimonium. Adstipulatur his ipse in Hierosolymis locus, & Golgathana rupes sub patibuli onere disrupta. Antrum quoq, illud, quod auulsis inferni ianuis corpus denuo reddidit animatum, quo purius inde ferretur ad cælum.

Aut si adhuc minus digna vobis hæc videntur, quæ in terris substantiam gerunt, accipite etiam è cælo adstipulatorem fidelem, Solem

etiam ipsum horum produco testem, qui cum hæc fieri per impios videret in terris, lumen suum meridie abscondit in cœlo. Requirite in annalibus vestris, inuenietis temporibus Pilati CHRISTO patiente, fugato sole interruptum tenebris diem. Quòd si terræ, si cœlo, si sanguini eorum, à quibus veritatem per tormenta perquiritis, fidem non accommodatis, quomodo meis verbis allegationibusq; credetis? Et cum penè iam auditoribus his verbis suadere cœpisset, arripi iubetur in carcerem, ibiq; quasi absq; tumultu populi necari.

DE PAPHNVTIO Episcopo.

PAphnutius Episcopus ex Ægypti partibus fuit, adeoq; ex illis vnus, quos Maximianus Cæsar dexteris oculis effossis, & sinistro poplite succiso, ad metalla damnauerat, propter fidei confessionem. Erat autem vir non solum pietate, sed etiam multis alijs præclaris dotibus exornatus. Et præter reliquas virtutes tantam in eo vim pietatis fuisse testantur historiæ, vt per orationem non modo curaret ægrotantes, sed etiam

etiam dæmones fugaret & abigeret ab ijs, qui erant obsessi. Porrò Constantinus Imperator tanta veneratione & amoris adfectu ipsum prosequebatur, vt sæpius ipsum intra palatium suum euocatum complecteretur, & illum oculum, qui ob fidei confessionem ei euulsus fuerat, auidioribus osculis demulceret. In Nicena Synodo cum de hæresi Ariana ageretur, trecenti & octodecim Episcopi fuerunt congregati à Constantino Imperatore, inter quos & Paphnutius fuit. Cæterum cum Synodus iam corrigere vellet abusus quosdam in Ecclesia, & certas quasdam leges statuere, quas Canones appellamus. In quorum tractatione cum quibusdam necessarium esse videretur constituere hanc legem, vt episcopi et presbyteri, diaconi & subdiaconi cum coniugibus, quas ante consecrationem duxerant, non dormirent, & ne postea permitteretur clericis vxores ducere, propter commoda quædam publica Ecclesiæ. Et cum multorum grauissimorum Episcoporum autoritate & consensu hæc sententia confirmata propemodum esset, solus Paphnutius restitit, & surgens in medio palàm contradixit, honorabiles, inquit, nuptias esse, & castitatem dicendam concubitum cum propria coniuge, suasitq; Concilio, ne talem ponerent legem de abdicandis

vxoribus contra verbum Dei. Quos Deus coniunxit, homo non separet. Etenim grauissimam causam esse asserebat, quæ aut clericis, aut ipsorũ coniugibus, occasio fornicationis existeret. Et hæc quidem Paphnutius, licet nuptiarum esset inexpertus, exposuit, Synodusq; laudauit sententiam eius, & nihil ex hac parte sanciuit, sed hoc in voluntate vniuscuiusquè, non in necessitate dimisit. Solus itaq; Paphnutius obtinuit, vt coniugati clerici vxores suas retinerent, & in hac re, quam Christus liberam esse reliquit, nulla necessitatis lex statueretur.

DE ATHANASIO Episcopo.

Athanasij exemplum dignum est, quod ab omnibus pijs cognoscatur, præsertim hoc tempore, quo Tyranni & homines impij quosuis potius ferunt & magnis sumptibus fouent, quàm veræ pietatis doctores, qui recte tradunt verbum Dei, & in omnibus rebus publicæ tranquillitati consulunt. Talis autem extitit Episcopus Athanasius illis temporibus, quando per Arianos Ecclesia miserè dissipabatur, sub impijs principibus,

bus, post mortem Constantini Imperatoris. Athanasius iam indè à puero, in omni genere bonarum artium & pietatis studio institutus erat. Ingenio ad discendum alacri, & ad iudicandum de grauibus quibusq; rebus acutissimo fuit, ideoq; assumptus est in Ecclesiam ab Alexandro Alexandrino Episcopo, qui propter præclaram indolem & insignes virtutes, quas in eo animaduertebat, singulari amore & beneuolentia eum complectebatur. Et cum Nicæna Synodus indicta esset à Constantino Cæsare, cum Alexandro Episcopo sene & sanctissimo viro vnà Nicæam profectus est, nam eius diaconus tum erat. Quando vero fuit vir acris ingenij, & in Ecclesiasticis negocijs apprime vigilans, acute admodum & diserte Arianorum dolos ac fallacias detegebat, magnaq; constantia tutatus est articulum fidei nostræ, de æternitate & diuinitate Christi. Proinde apud Alexandriam defuncto Episcopo Alexandro, suscepit curam regendæ Ecclesiæ Alexandrinæ. Sed quia satis innotuerat Arianis in concilio Nicæno, quid posset ingenio & eruditione sua Athanasius contra hæreses, ideoq; statim vt cum Episcopum factum cognouerant, existimantes, id quod res indicabat, sua negocia per illius sollicitudinem non facile processura, omnibus modis quærere

aduersus eum machinas deceptionum parabant. Porro mortuo Constantino Cæsare, Constantius Orientale regnum solus administrabat, Constantino iuniore fratre non longe ab Aquileia apud Alsam fluuium interfecto. Constans vtriusq; frater occidentem obtinebat. Accidit itaque quòd Constantium Cæsarem in suam sententiam pertrahunt Ariani, per prauos sacerdotes, sed verentur interim, ne forte adeundi regis copia quandoq; fieret Athanasio, & per eundem de veritate fidei, quam ipsi peruertebant, secundum scripturas edoceretur. Ideo omnibus modis incũbunt, vt ipsum apud principem traducant & infament, veluti omnium scelerum ac flagitiorum autorem, vsq; adeo etiam, quòd tandem humani corporis brachium loculo delatum Imperatori ostendunt, quod ab Athanasio excisum, magicæ artis gratia de Arsenij cuiusdam corpore, confirmabant. Neq; hoc solum flagitium, sed alia innumera scelera confingebant, vt pium & sanctissimum virum Imperatori inuisum redderent. Quibus ex causis commotus Constantius Imperator, iubet Synodum cogi apud Tyrum, in eaq; per Episcopos Athanasium publice condemnari. Sed quid fit? deducitur eò Athanasius, loculus cum humano brachio circumfertur. Inuidia

simul

simul & horror omnium animos inuadit. Nemo enim non detestatur hoc tantum facinus in Athanasio. Porro Arsenius ille, cuius brachium dicebatur excisum, lector aliquando Athanasij fuerat, & ob culpam correptionem veritus, frequentiæ sese subtraxerat. Eius vero latebras oportunas sibi ad huiusmodi commentum flagitiosi homines rati, in initio compositi criminis occultatum eum apud quendam, quem fidissimum suis sceleribus crediderant, retinebant. Cæterum peruenit interim ad Arsenium in latebris positum, quid suo nomine criminis intentaretur Athanasio. Et siue eum ipsa humanitatis contemplatio, siue diuina perpulit prouidentia, clàm noctu euadens claustris, enauigauit Tyrum. Et pridie quàm causse dicendæ vltimus dies esset, Athanasio sese Arsenius obtulit, vtq; se rerum series haberet, edocuit. Ille domi manere hominem, nec internoscere cuiquam de eius præsentia iubet. Interea Concilium cogitur, in quod aliqua concinnatæ calumniæ conscij, omnes penè infenso animo aduersus. Athanasium præiudicatoq; conueniunt. Per idem tempus Paphnutius Episcopus aderat, Athanasij innocentiæ conscius. Is cum vidisset Maximum Hierosolymorum Episcopum, qui vnà secum effosso oculo & popli e

suct-

succiso, confessor extiterat, verum pro sua nimia simplicitate & candore nihil de scelere sacerdotum suspicantem, consedisse cum cæteris, quos factionis macula sociauerat, medium consessum adire non est veritus. Te, inquit, Maxime, cum quo mihi idem & vnum confessionis insigne est, cum quo mihi pariter mortale lumen effossum, clariorem diuini luminis conciliauit aspectum, te, inquam, non patiar in concilio malignantium, & cum iniqua gerentibus introire: iniectaque manu eleuans eum de medio eorum ac de singulis instruens, perpetua dehinc Athanasio communione & amicitia sociauit. Sed ne hoc quidem testimonium sanctissimi confessoris Paphnutij, sectarios Arianos commouit. Nam caussa interim nihilominus dicitur. Tanta est impudentia hominum impiorum.

Primum adfertur accusatio mulieris cuiusdam, quam subornârant subdoli & impij homines, vt diceret se aliquando hospitio Athanasium suscepisse, & ab eo noctu nihil suspicantem vim corruptionis esse perpessam. Introduci ad hæc iubetur Athanasius, ingreditur cum Timotheo presbytero suo, eumq; monet, vt posteaquam mulier dicendi finem fecisset, se tacente ad ea quæ dixerat, responderet. Sciebat enim Athanasius,

nasius se ne visum quidem esse mulieri, nedum hospitio susceptum. Proinde cum mulier ea quæ edocta fuerat, peroraſſet, Timotheus conuersus ad eam, vere, inquit, mulier ego mansi apud te aliquando, aut vim tibi, vt asseris, feci? Tunc illa (vt est mulierum talium procacitas) obiurgans Timotheum, Tu ipse es, inquit, qui mihi vim feciſti, tu in illo loco commaculasti castitatem meam. Simul & conuersa ad Iudices obtestari fidem Dei cœpit, vera se dicere. Tum omnes pudore suffusi sunt, quòd tam facile, tacente Athanasio, fictio compositi criminis patuisset.

Hinc transitur ad aliud crimen, profertur facinus seculis inauditum, Hoc est, inquiunt, vbi nemo possit verborum præstigijs decipi, res oculis agitur, verbis cessantibus. Brachium hoc te, aiunt, Athanasi accusat excisum. Hæc est Arsenij dextera, quam tu quomodo, vel ad quos vsus exciderit, indicato. Tum ille. Quis enim, inquit, vestrum Arsenium nouerat, vt hanc ipsius dexteram cognoscatis? Exurrexerunt aliqui, qui dicerent optime se nouisse Arsenium, inter quos nonnulli erant ignari huius compositæ fallaciæ. Orat debinc à iudicibus Athanasius, vt hominem suum, quem in negocium deposceret, iube-

ant

ant intromitti. Cunquè introductus esset Arsenius, eleuato eius vultu, Athanasius Concilio & Iudicibus ait. Hic est Arsenius. Et alleuans simul eius dexteram. Hæc est, inquit, etiam dextera eius, hæc est & sinistra. Hæc autem, quam isti offerunt, manus vnde sit, vos requirite. Tunc velut nox quædam & tenebræ accusatorum oculis infusæ, quid agerent, quò se verterent, nesciebant. Verum quia non iudicandi sed opprimendi hominis caussa concilium gerebatur, fragor omnium repente attollitur, magum esse Athanasium, & decipere intueutium oculos conclamatur, nec debere vllo modo vltra hominem tam nefarium viuere, factoq; impetu suis manibus præ furore discerpsissent, nisi Archelaus, qui cum cæteris ex mandato Imperatoris Concilio præsidebat, liberasset eum, & eduxisset per occultos exitus, ac fugere iussisset. Congregati Episcopi, ad Concilium rursus conueniunt sequenti die, & tanquam nihil deprehensum fuisset, vt confessum de intentatis criminibus Athanasium condemnant. Et gesta in hunc modum ficta per orbem terræ mittentes, ad sceleris sui consensum, Imperatore cogente, cæteros Episcopos perpulerunt.

Hinc iam toto orbe profugus agitur Athanasius, nec vllus ei tutus ad latendum superat

rerat locus. Tribuni, Præpositi, Comites, exercitus quoq; ad inuestigandum eum mouentur edictis imperialibus, præmia delatoribus proponuntur, si quis viuum maxime, si id minus, caput certe Athanasij detulisset. Sed totis regni viribus frustra aduersus eum, cui Deus aderat, certabatur. Nam sex continuis annis ita latuisse fertur in cisterna seu cella subterranea, vt nunquam in publicum prodiret. Et cum per ancillam, quæ sola conscia officiorum domini sui erat, qui Athanasio latebras præbuerat, indicatus fuisset, tanquam Dei spiritu admonitus, ipsa eadem nocte, qua ad eum comprehendendum cum iudcibus veniebatur, post tot annos migrauit ad alium locum. Atq; ita illi qui venerant frustrati, dominisq; in fugam versis, de ancilla vt falsa indice pœnas sumunt. Verum ne graues alicui latebræ suæ fierent, & occasio calumniæ in innocentes quæreretur, nihil sibi iam vltra tutum in Constantij regno præsumens, ad Constantis partes profugus discessit. A quo sic satis honorifice pieq; susceptus est, quiq; caussa eius, quam fama compereat, diligentius cognita, scribit ad fratrem suum Constantium, pro certo se comperisse, quod sacerdos Dei summi Athanasius, iniuste & præter omnem culpam fugas & exilia pateretur,

itaq;

itaq; se monere, vt virum pium pristino suo loco restituat. Quod si nollet, curæ sibi futurum, vt ipse id adimpleret, & simul intima regni eius penetraret, dignissimas pœnas de aduersarijs & falsis accusatoribus Athanasij sumpturus. Venit igitur Athanasius Antiochiam, nam ibi tum erat Constantius Cæsar, qui perterritus fratris Constantis literis, simulata benignitate, venire ad se iubet Athanasium, & ad Ecclesiam suam securum redire permittit, sed hac lege, vt vnam Ecclesiam permittat Arianis, qui cum ipso nollent communicare. Id quidem, respondit Athanasius, facile tibi concedo Imperator, sed hac item lege, vt nobis & nostris concedatur hic & in alijs locis quoq; habere vnam Ecclesiam, qui cum vestris nolunt communicare. Id vero cum audiuerunt Ariani Episcopi, quorum consilio vtebatur Cæsar, neq; se velle accipere Ecclesiam Alexandriæ, neq; Antiochiæ dare velle respondent. Itaq; admiratus Imperator prudentiam Athanasij, properare eum ocyus ad suscipiendam suam Ecclesiam iubet. Sed cum Magnentij scelere Imperator Constans, cuius iussu & autoritate restitutus erat Athanasius, regno simul & vita fuisset exemptus, rursum in Athanasium veteres illi hostes exasperare Constantij Cæsaris ani-

animum, & accendere eius iram contra eum cœperunt, fugatoq; de Ecclesia Athanasio, in locum eius Georgium quendam, perfidiæ & immanitatis suæ socium, sufficiunt. Rursum igitur fuga, rursum latebræ, & edicta Cæsaris aduersus Athanasium in omnibus locis ponuntur, in quibus & præmia delatoribus promittebantur. Ad hoc etiam, cum ob vindictam necis fraternæ, regnumq; recuperandum, ad Occidentis partes venisset Constantius Cæsar, & extincto tyranno iam solus regno potiretur, cogere statuit omnes occidentales Episcopos ad comprobationem sectæ Arianæ, & Athanasium palàm condemnauit. Sciebat enim eum, velut aheneum murum & validissimum obicem esse, ad resistendum doctrinæ Arianorum. Idcoq; & omnes Episcopi, qui in Italia improbabant Athanasij proscriptionem, in exilium relegati sunt, fuitq; eo tempore & in oriente & in Occidente admodum miserabilis Ecclesiæ facies.

Porrò Constantio Imperatore non multò post defuncto vita, Iulianus Cæsar successit. Is primo veluti arguens perperam gesta Constantij Imperatoris, Episcopos iubet de exilijs relaxari, & ad suas Ecclesias redire. Atque hac occasione Athanasius Alexandriam ad suam Ecclesiam re-

uersus est, eamq; denuo repurgauit ab impijs opinionibus Arianorum. Cæterum Iulianus, postquam ad orientem Persas bello pulsaturus aduenit, palàm cœpit prodere impietatem animi sui, quam callide antea dissimulauerat. Publice enim testabatur scidolorum cultui, & gentilibus superstitionibus addictum, & astu magis quam aperta vi Christianos auellere conabatur à Christo, ad gentium impietates. Et hunc illius animum accendebant etiam doctores & magistri impij, qui asserebant nihil suis artibus successurum, nisi prius Athanasium velut omnium horum, quæ moliebantur in reparando impio cultu deorum & alijs superstitionibus renouandis, substulisset. Iterum igitur mittitur exercitus ad perdendum Athanasium, iterum palàm oppugnatur Ecclesia. Cumq; populum Christianorum circa se lachrymantem & tristem stare videret, cum ex præcepto Iuliani Cæsaris pararet se ad fugam, sic consolatus est eum, inquiens. Nolite ô filij conturbari, sed habetote fiduciam, quia nubecula tantum est, quæ cito pertransit. Iam verò cum in discessu naui per Nilum fluuium iter ageret, Comes qui ad hoc ipsum missus fuerat, cognito eius itinere, instanter eum insequi cœpit. Et cum forte applicuisset Athanasij nauicula ad quen-

quendam locum, comperit à prætereuntibus, post tergum esse percussorem suum, & iam iamque, nisi prospiceret sibi, imminere. Conterriti qui simul aderant socij, eremum suadebant ad fugæ præsidium petendam. Tum ille, nolite, inquit, ô filioli deterreri, eamus magis in occursum percussori nostro, vt sciat, quia longe maior est, qui nos defendit, quàm qui persequitur. Et conuersa nauicula iter obuiam ei, qui insectabatur, aggressus est. Ille vero qui nullo modo suspicari potuisset, in occursum sibi vltro venire, quem quæreret, tanquam prætereuntes aliquos interrogari iubet, vbi audissent esse Athanasium. Cumq; respondissent, vidisse se eum non longe euntem, tota celeritate pertransiens properat in vanum, festinans capere, quem ante oculos positum videre non potuit. Ille vero Dei virtute monitus Alexandriam redit, ibiq; tuto latebras, vsq; quo persecutio cessaret, exegit. Etenim post Iuliani necem, & Imperio & Ecclesiæ per Iouinianum, qui ei successit in regno, pax & tranquillitas restituta est. Erat enim princeps pietatis commendatione insignis, Episcopos à Constantio & Iuliano proscriptos reuocauit, iussit etiam Ecclesijs decimas persolui in vsum Prædicatorum. Athanasium autem præcipue complectebatur,

nam officiosissimis & honorificis literis eum requirebat, & ab ipso certam quandā fidei formam et Ecclesiarum disponendarum rationem suscepit. Sed hæc tam pia & læta principia mors immatura corrupit. Præfuit enim Imperio Iouinianus, non amplius mensibus septem, & febri correptus obijt apud Ciliciam.

Post Iouiniani mortem Valentinianus imperium suscepit. Is in consortium regni assumpsit fratrem Valentem, & sibi quidem Occiduas partes delegit, fratri verò Orientales reliquit, qui quia Arianæ hæreseos sectator fuit, persecutus est synceros prædicatores Euangelij, multaq; nefanda & crudelia in Ecclesiam Dei molitus est. Sed hæc omnia tum maxime incepit, postquam Athanasius mortuus est, nam illo superstite velut diuina quadam virtute prohibitus, cum debaccharetur in cæteros, in illum nihil ausus est triste committere. Igitur ea tempestate, cum iam quadraginta & sex annos in Episcopatu administrasset Ecclesiam Athanasius, ægrotare cœpit, & post tam multos agones, tot cruces & discrimina, ex hac vita sublatus est, & scisciatus de successore, cui tuto & rectissime committi possit cura Ecclesiæ Alexandrinæ, Petrum calamita-

mitatum & periculorum suorum socium, & virum apprimè eruditum in verbo Dei, delegit.

DE AMBROSIO Episcopo.

IN Italia quoq; multas Ecclesias contaminquerat Ariana hæresis, ita vt grauissima passim dissidia exorirentur ex diuersitate opinionum, in caussa religionis, cum in alijs multis vrbibus, tum vero apud Mediolanum. Accidit enim temporibus Valentiniani Cæsaris, vt defuncto Auxentio hæreticorum Episcopo, vtriusq; partis populi in vrbe Mediolano diuersis studijs ferrentur, adeo quòd dissensio grauis & periculosa seditio certum exitium vrbi parare videbatur, præsertim si vtraq; pars, cum diuersum optaret, sui voti compos non efficeretur. Sed quid fit? Ambrosius tum consularis, eiusdem prouinciæ fasces gerebat. Is cum perniciem ciuitati videret impendere, pro loco atq; officio suo confestim Ecclesiam, seditionem populi mitigaturus, ingreditur. Cumq; ibi multa secundum leges & publicam disciplinam, pro quiete & tranquillitate perorasset, pugnantis inter se et dissidentis populi

subito clamor & vox vna consurgit, Ambrosium Episcopum postulantes. Neque enim aliter vnum populum fore, atq; vnam fidem, nisi Ambrosius sibi Episcopus daretur. Obluctante illo & plurimum resistente, ad Imperatorem relatum populi desiderium, omni maturitate iubetur impleri. Itaq; inuitus & præter suam voluntatem Episcopus factus, Ecclesiæ gubernationem apud Mediolanum suscepit, & magna constantia opposuit se Arianis, pro tuenda gloria veri Euangelij Christi. Porrò mortuo Valentiniano Cæsare, regina vxor eius Iustina Mediolanum profecta est, ibiq; in tranquillitate ætatem suam consumere instituerat. Erat hæc addicta hæresi Arianæ, quam quia dum viueret maritus, callide suppresserat, nunc libere impietatis suæ venena aperire & effundere palàm cœpit. Conturbauit itaq; Ecclesiarum tranquillum statum apud Mediolanum, comminabaturq; sacerdotibus proscriptiones & exilia, nisi Ariminensis concilij decreta, quibus patrum fides confirmata fuerat, reuocarent. Atq; in hoc nouo bello, Ecclesiæ murum, & turrim validissimam pulsabat Ambrosium, cumq; minis & terroribus, atq; omni genere oppugnationis fatigabat, existimans, id quod res erat, profligato Ambrosio Episcopo, se facile perductu-

ductturam sua authoritate Ecclesias in sententiam Arianorum. Atqui vero aduersus hunc furorem reginæ Ambrosius non defensabat se manu aut telo, sed ieiunijs, continuatisq; vigilijs sub altari positus, per obsecrationes defensorem sibi atq; Ecclesiæ Deum parabat. Et non multo post accidit, quod Maximi cuiusdam principis tyrannide aduersus ipsam & Cæsarem inualescente, in exilium cum filio Valentiniano profugere coacta sit. Itaque completum est in impia regina, quod in psalmis comminatur propheta omnibus impijs, quod in foueam, quam alijs parant, ipsi corruent.

Illud quoq; inprimis memorabile factum est Ambrosij Episcopi, quod Theodosium Imperatorem propter iniustam cædem perpetratam excommunicauit, & ab ingressu templi prohibuit. Etenim cum apud Thessalonicam seditione exorta, quidam ex militaribus vir impetu furentis populi fuisset extinctus, repentini nuntij atrocitate succensus Theodosius Cæsar, ad ludos Circenses inuitari populum, eiq; ex improuiso circumfundi milites, atque obtruncari passim, vt quisque occurrisset, gladio iubet, & vindictam dari non crimini, sed furori. Ferunt enim septem hominum milia in ea clade perüsse, nullo iudicio præcedente. Audiens Ambrosius tam miserabi-

lem cladem ab Imperatore perpetratam, cum iam veniſſet Mediolanum Theodoſius, & ſolemniter in templum intrare voluiſſet, occurrit foris ad ianuas, & ingredientem his ſermonibus obiurgauit, & ab ingreſſu Eccleſiæ prohibuit. Neſcis inquit, Imperator, perpetratæ à te cædis quanta ſit magnitudo? neque poſt ſedatum impetum tanti tui furoris mens tua præſumptionis molem agnoſcit, ſed forte recognitionem peccati, & pœnitentiam prohibet imperij maieſtas? Coequalium hominum princeps es ô Imperator, & conſeruorum, vnus enim eſt omnium dominus, rex omnium & creator. Quibus ergo oculis aſpicies communis domini templum? Quomodo manus extendes ad orandum, quæ impuræ ſunt, & de quibus adhuc deſtillat ſanguis iniuſtus? Quomodo huiuſmodi manibus ſuſcipies ſanctum domini corpus? qua temeritate ore tuo poculum ſanguinis precioſi percipies? Recede igitur, recede, nec altero peccato priora crimina augere contendas, ſuſcipe vinculum, quo te omnium dominus nunc ligat, eſt enim medicina maxima ſanitatis. Ad hunc modum obiurgatus ab Ambroſio Theodoſius Imperator, agnouit delictum ſuum, culpamq; cum lachrymis profeſſus, publicam pœnitentiam in conſpectu totius Eccleſiæ exegit,

exegit, & in hoc sibi tempus præscriptum absque regali fastigio patienter impleuit. Quibus omnibus istud quoq; mirabiliter adiecit, lege sanxit in posterum, vt sententiæ principium super animaduersione prolatæ, in diem tricesimum ab executoribus differrentur, quo locus misericordiæ, vel si res tulisset, pœnitentiæ, non periret.

DE SPIRIDIONE EPI. Scopo Cyprio.

SECVNDVM Paphnutium & paucos alios Episcopos, Spiridion maxima in æstimatione est habitus illis temporibus. Erat enim Trimithuntis Cypriorum Episcopus, qui ob insignem pietatem, quæ in eo erat, & vitæ sanctimoniam, gratus erat omnibus. Ipse interim vt magnis & præclaris virtutibus excellebat, ita minime de sese arroganter sensit. Quod ad vitæ genus attinet, priusquam Episcopus factus est, agriculturam exercuit, & pastorem ouium egit, vxorem & liberos habens, sed non propterea in studio & cognitione pietatis Christianæ minor, & propter hanc opinionem eruditionis, & testimonium probatæ vitæ designatus est Episcopus

in Cypro. Neque enim frustra præcepit Paulus, Episcopum non esse eligendum aliquem, nisi qui antea rectè didicerit suæ domui & familiæ præesse. Porrò præterquam quod syncere prædicauit Euangelium Spiridion, omnibus etiam aliis officijs boni Episcopi excelluit. Nam hospitalitatem coluit, & beneficus admodum fuit in iuuandis pauperibus. Mos enim erat Spiridioni ex fructibus, quos ex agris suis percipiebat quotannis, partem quidem pauperibus elargiri, partim autem gratis mutuari volentibus. Erat autem tam promptus in erogando, quod neque per se dabat, neq; per se recipiebat, sed solum cubiculum ac locum demonstrabat, inuitans petentes, vt quantum opus haberent, tollerent, & denuo restituerent, quantum se scirent abstulisse. Accidit itaq; quod quidam dum mutuum percepisset, reuersus est non multo post, quod tulerat redditurus. Quem dum secundum consuetudinem iussisset reponere in cubiculo, quod fuerat inde mutuatus, ad iniustitiam ille conuersus, & credens latere Spiridionem, non reddidit, quod debebat, sed auferens secum debitum quasi reddidisset, abscessit. Sed quid fiet reuersus idem ille post certum tempus, petijt à Spiridione frumenti aliquid mutuo. At ille misit eum ad horreum, data pote-

potestate, vt ipse sibi metiretur, quantum opus haberet. Ille granarium vacuum repperit, et ilico reuersus ad Spiridionem dixit, se deludi, nam nihil se frumenti inuenire in horreo. Cui Spiridion. Mirum est, inquit, ô homo quod loqueris. Quomodo tibi soli visum est horreum frumento vacuum esse, cum nos omnes sciamus & videamus abundare necessarijs? Sentiens itaq; Spiridion hominem dolo malo & furto vsum esse, dixit. Considera potius apud temetipsum, ne forte quod mutuatus iam antea eras, bona fide non reddideris. Si enim huius doli tibi conscius non es, haud dubie non priuaberis, quibus eges, sed rursum accedens inuenies. Sic igitur ille palàm conuictus, quod deliquerat, indicauit Spiridioni, & veniam petijt. Memorabile inprimis hoc est exemplum, quod testatur Deo curæ esse res piorum hominum, & rursus non fortunari ac benedici iniuste partas opes impiorum. Illud quoq; pertinet ad commendationem sanctissimi Episcopi Spiridionis, quod in Euangelij doctrina non solum singula simplicissime & accuratissime explicabat, sed vsq; adeo studiosus fuit, vt religio illi esset magna, vel tantillum ab vsitatis & communibus scripturæ vocibus discedere, sequutus haud dubiè Pauli præceptum, qui docet, formam sanorum verborum tenen-

tenendam esse. Maximas enim & graues dissensiones sæpe peperit in Ecclesia studium nouarum vocum. Dicitur itaq; quodam tempore pro publica vtilitate Ecclesiarum conuenisse in vnum Cyprios Episcopos, & inter eos fuisse hunc Spiridionem & Triphylium Ledrensem Episcopum, virum eloquentia & sapientia clarum. Cum itaq; conueniret populus ad audiendam concionem sacram, iniunctum est Triphylio, vt exponeret locum aliquem scripturæ ad ædificationem Ecclesiæ, cunq; ille locus veniisset in medium: Tolle lectum tuum, & ambula, cubile dixit pro lecto, mutans nomen. Id vero indigne ferens Spiridion, & exiliens de cathedra sacerdotali, Túne melior es, inquit, eo qui lectum dixit, quia eius verbis vti te pudet? Fecit hoc Spiridion conspiciente populo, vt hominem eloquentiæ persuasione tumentem humiliaret, & simul admoneret, minime tutum esse à sanis & receptis scripturæ vocabulis discedere. Fecit autem hoc palam Spiridion pro sua autoritate, vt incuteret homini ambitioso pudorem. Nam ob vitæ singularem sanctimoniam venerabilis erat, & senex simul ætatis annis, & sacerdotis officio.

Cæterum qualis circa perigrinorum susceptiones fuerit, hinc apparet. Instante iam qua-

quadragesima, quidam ex itinere venit ad eum, quibus diebus consueuerat cum suis continuare ieiunia, & die certo comedere. Videns itaq; peregrinum valde lassum & defatigatum, perge, inquit ad suam filiam, laua peregrini pedes, & cibos appone. Cumq; puella dixisset, nihil cibi reconditum esse, propter ieiunium, iussit vt porcinas carnes, quas domi salitas habebat, coqueret. Quibus coctis, sedens cum peregrino positis carnibus vescebatur, & rogabat peregrinum, vt vnà secum ederet, quo refutante, Christianumque se profitente, Propterea magis, inquit, refutare non debes, Ego quoq; Christianus sum. Omnia enim sunt munda mundis, sicut sermo diuinus edocuit Testatur hoc exemplum, fuisse Spiridionem virum minime superstitiosum, sed pium & prudentem, qui verum vsum Christianæ libertatis non ignorauit.

DE SENE QVODAM confessore, qui simplici confessione fidei vicit Philosophum argute disputantem.

Quan-

QVantam vim habeat fidei ſimplicitas, vel ex hoc exemplo deprehendi poteſt. Etenim cum ex iuſſu religioſi Imperatoris Conſtantini ex omnibus populis & vrbibus Epiſcopi & ſacerdotes Dei coiſſent Nicæam, ad refellendã Arianam hæreſim, fama hac commoti philoſophi quoque & dialectici valde nobiles & diſerti conuenerunt. Inter quos quidam inſignis in arte Dialectica, per dies ſingulos conflictus ſummi certaminis cum Epiſcopis noſtris, viris adæque in Dialectica non improbabiliter eruditis, mouebat, & fiebat ingens ſpectaculum, conuenientibus ad audiendum, prudentibus & literatis viris. Nec tamen vllo genere Philoſophus concludi à quoquam poterat aut conſtringi. Tanta etenim dicendi arte obiectis quæſtionibus occurrebat, vt vbi maxime putaretur adſtrictus, velut anguis lubricus elaberetur. Sed vt oſtenderet Deus, quia non in ſermone regnum Dei, ſed in virtute conſiſtit, quidam ex confeſſoribus, qui aderant in Nicæno Concilio, ſimpliciſſimi ingenij vir, & nihil aliud ſciens niſi Ieſum Chriſtum, & hunc crucifixum, cum vidiſſet Philoſophum inſultantem noſtris ſacerdotibus, & callida ſe diſputationis arte iactantem, poſcit ab omnibus poteſtatem ſibi dari paucis cum Philoſopho colloquendi. Tum

vero

vero nostri, quibus imperitia viri boni perspecta erat, expauescebant, & veluti pudore quodam suffundebantur. Metuebant enim, ne forte apud homines callidos & disertos risui exponeretur sancta simplicitas. Perstitit tamen senior, & hinc sumpsit sermonis exordium. In nomine, inquit, Iesu Christi Philosophe audi quæ vera sunt. Deus vnus est, qui fecit cœlum & terram, quique homini, quem de limo terræ formauerat, Spiritum dedit. Vniuersa quæ videntur, & quæ non videntur, virtute verbi creauit, & Spiritus sui sanctificatione firmauit. Hoc verbum ac sapientia, quem nos filium dicimus, humanos miseratus errores, ex virgine nascitur, & per passionem mortis à perpetua nos morte liberauit, ac resurrectione sua æternam nobis contulit vitam, quem & expectamus iudicem omnium, quæ gerimus, esse venturum. Hæc ita se habere, sine perscrutatione humanæ rationis credimus. Proinde noli tu inaniter laborare, quæ rens destruere ea, quæ fide percipimus. Noli inuestigare modū, quo fieri hæc, aut nō fieri potuerint. Si enim credis consulenti mihi, ad ista respondē, surge & sequere me ad Dominicum templum, & huius fidei signaculum susci pe. Philosophus vero conuersus ad discipulos suos, & ad alios qui ads-

aderant, Audite, inquit, ô eruditi viri. Donec verbis mecum res gesta est, verba verbis opposui, & quæ dicebantur, dicendi arte subuerti. Vbi vero pro verbis virtus processit ex ore dicentis, non potuerunt resistere verba virtuti, nec homo aduersari potuit Deo. Est itaq; hoc modo Philosophus Christianus effectus, & magno gaudio gratulatus est, se tandem simplici confessione Christianæ fidei à sene conuictum esse.

DE PÆDAGOGO QVODAM, Iuliano, & Libanio Sophista.

ANtiochiæ vir quidam optimus, & Christianæ religionis inprimis studiosus, pædagogus adolescentum, habitabat, eratq; in eadem vrbe nobilis ille Sophista Libanius, homo quidem secundum mundum eruditus & prudens, sed impius, & supra modum in Christum redemptorem nostrum blasphemus, idq; in gratiam Iuliani Cæsaris, qui acerrimus hostis & persecutor fuit Christianorum. Is iam aduersus Persas in bellum profectus erat, eiusq; secundum reditum, & felicem victoriam expectauit Libanius, habens præ oc-

oculis minas eius aduersus Christianos. Interrogauit igitur pædagogum contumelioſe irridens eum propter ſuſceptam religionem Chriſtianam. Quid putas, inquit, nunc fabri filius Chriſtus Deus veſter agit? At ille, quod paulò poſt contigit, repletus gratia diuina prædixit, Reſpondit enim: O Sophiſta, quieſcas paululum. Creator omnium, quem tu fabri filium nominaſti, iam Iuliano loculum concinnat, in quo mortuus portabitur. Neque vero hoc ſuo præſagio de morte Iuliani, falſus eſt pædagogus. Accidit enim, vt paucos poſt dies ſagitta vulneratus Iulianus periret. Aiunt autem, quòd cum Iulianus grauiter ſauciatus eſſet, mox manum ſanguine ſuo compleuerit, & in aërem proiecerit, dicens: Galilæe viciſti, ſic enim per contumeliam vocabat Chriſtum. Memorabile inprimis hoc eſt exemplum, quòd impudentes blaſphemias in Chriſtum, & contemptum ſui manifeſtum, tandem ſuo tempore grauiter vlciſcatur Deus. Nam ferunt & Sophiſtam Libanium non multò poſt fœdiſſime quoque periiſſe.

DE CONSTANTIA MVlieris cuiuſdam, in Edeſſa ciuitate Meſopotamiæ.

VAlens Imperator Arianæ hæreseos acerrimus adsertor fuit, ideoque & religionis Christianæ infensissimus erat hostis, & multa ac nephanda mala passim intulit orthodoxis. Venit in Edessam Mesopotamiæ vrbem, & cum cognosceret Christianos Basilicam ibi habere, ad quam quotidie magno numero confluerent, audiendi verbum Dei & orandi caussa: Et quia videbat Arianos minus in precio esse in ea ciuitate, & foueri Christianos contra mandatum suum, fertur præ nimia animi commotione manu percussisse præfectum vrbis, quòd inde orthodoxos omnes non expulisset. Cumquè præfectus iniuriam passus, inuitus indignationi principis ministrare contenderet (non enim volebat tot hominibus cædem inferre) latenter mandauit, vt dum præsens in vrbe esset Princeps, nullus in illa Basilica remaneret. Sed nemo respexit consilium præfecti, neq; metuit terrorem præsentis Principis. Nam omnes altero die ad locũ orationis pariter confluebant. Porro cum præfectus vrbis cum multa militum manu ad Basilicam festinaret, vt Imperatoris perficeret iussionem, quædam mulierecula in paupertate degens, suum filium manu trahens, cursuque ad Basilicam properans, præfecti officium interrupit. Indignatus vero præfectus,

ctus, mulierem sibi iussit adduci, dixitq; ad eam: O infelix mulier, quò sic indecenter curris? At illa. Quo alij, inquit, ire festinant. Tunc ille: Non audisti, quòd præfectus illic occisurus est vniuersos, quoscunq; inuenerit? Et mulier: Audiui, inquit, ideoq; festino, vt & ego illic inueniar inter eos. Et quò hunc paruulum trahis infantem? Tunc mulier ait: Vt & iste martyrium suscipere mereatur. Hoc vbi audisset præfectus, considerauit concurrentium animum. Et mox recurrens ad Principem, suggessit ei, quòd omnes essent mortem pro sua fide subire parati, sed iniquum sibi videri, breui tempore tantam multitudinem occidere. Quo dicto ab ira auocauit Imperatorem, atq; hac occasione Edessæni furorem Imperatoris effugiunt.

DE EVLOGIO EPISCOpo vrbis Edessæ in Mesopotania.

CVm vidisset Valens Imperator constantiam populi vrbis Edessæ, in confessione Christianæ fidei, indignum existimauit si simul totam vrbem suis ciuibus & inhabitatoribus spoliari man-

mandaret. Itaq; callido consilio vsus, præcepit Episcopum vrbis, præsbyteros & diaconos conuocari, illisque per præfectum suum proponi, vt vnum è duobus eligerent, aut approbarent Eudoxij dogma, aut vrbe pelli & in exilium relegari se sustinerent. Existimauit enim Valens Imperator, facile posse populi animos inflecti, si prius duces & doctores populi in suam sententiam pertraxisset, vel relegasset. Iam vero vniuersis congregatis, præfectus mitioribus verbis vtebatur, persuadere nitens, vt Imperatoris leges sequerentur, & illius in caussa religionis voluntati & consilio obtemperarent. Nam insaniæ extremæ, non prudentiæ indicium esse dicebat, quòd tanto Imperatori pauci homines repugnarent. Cumq; cuncti tacerent, ad horum ducem ac Episcopum Eulogium virum valde laudandum præfectus ait; Cur non respondes his, quæ dicuntur à nobis? At ille: Vniuersis hæc dicta esse respondit, ideoq; incongruum esse, vt solus, contemnens alios, responderet. Si vero me solum, inquit, interrogas, meam declarabo sententiam. Præfectus ait: Hoc abs te requirimus, vt communices possidenti regnum. At ille pacifice & valde benigne ait: Et mihi quoq; regni sacerdotijq; consortium est. Tunc præfectus irrisionem sentiens, excandescere

scere & sæuire cœpit, & contumelioſis verbis vtens contra ſenem, etiam hæc adiecit: Heus tu veterator, non hoc loquutus ſum, ſed quibus communicat Imperator, communicare vos monui. Ad quod reſpondens Eulogius ſenex magna modeſtia: Ego, inquit, paſtorem Chriſtum habeo, cuius vocem audire, & nutibus illius obedire me oportet. Qua voce cõmotus præfectus, octoginta eodem tempore comprehendens, deſtinauit in Thraciam, Eulogium præſulem & Protogenem, qui ſecundus poſt eum fuit, in Antinoem Thebaidos vſq; relegauit. Omnes autem ſummo in precio habiti ſunt apud exteros populos. Tandem poſt ſedatam illam fluctuationem, Eulogius & Protogenes de exilio reuocati, ad gubernationem ſuæ Eccleſiæ rediérunt. Memorabile profecto in primis hoc eſt axemplum, & dignum, quod omnes, qui vere Chriſtiani eſſe volumus, imitemur, vt ne patiamur autoritate ſummorum hominum auocari nos ab Euangelio, id quod quidam homines leues & inconſtantes faciunt, qui tantum ad tempus probant Euangelium, & in tempore tentationis recedunt.

DE BASILIO MAGNO.

VAlens Imperator, cum vniuersas Ecclesias veris & pijs Episcopis ac pastoribus spoliasset, in Cæsaream nobilissimam Cappadociæ vrbem venit, cuius tunc præsul erat Basilius, lumen ac ornamentum suæ ætatis. Huius viri quanquam non vnum aliquod virtutis exemplum celebratum sit, in historijs Ecclesiasticis, illud tamen omnium maxime dignum apparet, quod eo accuratius commendetur adolescentiæ, vt illius exemplo discat pietatis summam laudem esse, etiam eam, non modo religionem Christianam cognoscere diligenter, sed & tueri illam constanter & defedenre. Sunt enim plerique homines, qui tametsi non male sentiant de rebus pietatis, tamen quia metuunt vel diminutionem rei familiaris, vel ne è gratia principum excidant, nihil pudet cos sæpe aliud lingua promptum habere, aliud pectore reconditum. Quo genere hominum nihil neque pernitiosius est neque illiberalius. Imperator itaque cum fauerat Eudoxij hæretico dogmati, & multa tamen percepisset de doctrina, & magnis virtutibus Basilij, præmisit ad eum præfectum suum, virum prudentem & disertum, præcipiens, vt aut flecteret Basilium, vt dogmati communicaret Eudoxij, aut hoc fauere nolens expelleretur. Audiens enim gloriam

tanti

tanti viri, noluit ei prius inferre vim, quàm omnia blandis consilijs & beneuolentia apud ipsum tentasset. Præfectus itaque sedulo cœpit agere cum Basilio, eumq; honorauit, & mansuetis apud eum sermonibus vsus est, rogabat ac monebat, vt tempori pareret, & opinionem suam ac sententiam non ita pertinaciter obfirmaret, & tot Ecclesias propter paruam dogmatum subtilitatem dissipari pateretur. Nam si in hac parte flecti se pateretur, futurum esse promittebat, vt summam inde amicitiam & gratiam Cæsaris consequeretur Basilius. Postquam ille sic locutus erat, respondit magna cum grauitate Basilius: Nibil attinet, inquiens, ista beneuolentiæ captatione & persuasionibus apud me vti, nam adolescentibus imperitis hæc verba congruere puto. Illi enim & illorum similes talia promissa respiciunt, quæ tu prædicas. Nam pij & graues viri, qui recte instituti sunt in verbo Dei, constantiores sunt, quàm vt syllabam aliquam de diuinis literis negent vel corrumpi sinant, sed potius (si contingat) etiam omnes mortis species amplectuntur. Amicitiam quidem & gratiam Imperatoris optandam censeo, magnique duco, sed si cum pietate coniuncta sit, & ab ea non abstrahat quenquam. Nam sine hac perniciem potius

illam, quàm amicitiam appello. Atqui vero hoc tam graui responso multum offensus præfectus Imperatorius, seuire in Basilium cœpit, stultum ac delirum eum appellans. Cui Basilius ait: Me sanè huius stulticiæ non pudet, nam hanc stulticiam amplector, & omnibus modis habere exopto. Cæterum cum præfectus egredi iussisset Basilium, vt quid faciendum sibi esset, deliberaret, sententiamq; suam altero die depromeret, fertur Basilius dixisse: Ego quidem etiam cras ipse regredior, dummodo tu sententiam non permutes, sed vtere minis tuis.

Accidit postea, quòd præsente Imperatore Valente loqueretur de sacris scripturis Basilius, & adfuit forte inter Imperatoris ministros coquus Demosthenes nomine. Is cum culpare vellet sanctissimum doctorem, & blasphemijs Christum incesseret, accidit vt barbarismum committeret. Tum sanctus Basilius subridens: Vidimus, inquit, sine literis Demosthenem. Cum vero ille minaretur magis, ait Basilius: Tuum est de pulmentarijs cogitare, non dogmata diuina decoquere. Proinde hac occasione tractandi de sacris scripturis commotus Cæsar, admirari cœpit Basilium & diligere etiam, propter pietatis doctrinam insignem, & reliquas eximias virtutes, quas

quas in eo consideravit. Cæterum hostes veritatis indigne ferentes reconciliatum Cæsaris animum Basilio, omnem operam impenderunt, vt alienarent iterum Cæsaris animum, eique Basilium inuisum redderent. Proinde assiduis persuasionibus hæreticorum commotus tandem Imperator, rursus iussit sollicitari Basilium, ad amplectendum Eudoxij impium dogma, & cum id magna constantia suscipere recusaret Basilius, illico legem scribi præcepit de relegando Basilio in exilium. Cæterum cum descriptam legem manus suæ subscriptione confirmare vellet Cæsar, nullum apicem complere potuit, calamus enim contritus dissiliit. Cumq; hoc ipsum secundo & item tertio calamo accidisset, & ad huc legem impiam firmare contenderet, commota est eius dextera, camq; subito tremor inuasit. Tunc eius animo terrore repleto, ambabus manibus chartam rupit. Mirabili itaq; prouidentia Dei seruatus est Basilius Episcopus, ne in exilium pelleretur. Etenim in extremis periculis & persecutionibus seruare solet Deus infirmam & contemptam suã Ecclesiam, ne prorsus conculcetur & extinguatur à Satana, & ab impijs Tyrannis. Ideoq; ad gloriam sui verbi permittit Deus alios

pati, alios rursus seruat & eripit ex præsentibus periculis, in salutem Ecclesiarum.

DE AMMONIO Monacho.

AMmonius vir eruditionus & pietatis insignis fuit, Origenem Didymumq; doctissimos viros præceptores habuit, et Athanasio Episcopo summa familiaritate coniunctus fuit. Vitam solitariam amauit, & nihil perinde deuitare solebat, quàm ambitionem & honorum cupiditates. Nulla in homine curiositas & studium nouitatis fuit, adeo etiam, quòd cum aliquando veniisset Romam cum Athanasio Episcopo, nullum opus ciuitatis inspicere & cognoscere penitus voluit, quàm loca illa, in quibus verbum dei docebatur. Accidit etiam quòd cum voluissent quidam eum ad Episcopatum pertrahere, nec ille posset eos sermonibus auertere, abscidit sibi alteram aurem vt non susciperet Episcopatum, & simul dixisse fertur. Iam ne volentem quidem quisquam patietur me Episcopum ordinari. Nam hic mos tum erat in Ecclesia, vt nullus mutilatus reciperetur ad vllum sacerdotij ordinem. Proinde discedentibus

tibus illis,& denuo redeuntibus atq; dicentibus, quòd morum & doctrinæ potius perfectionem, quàm membrorum corporis Ecclesia requirat, iurauit Ammonius etiam se linguam suam abscissurum, si se inuitum ad Episcopatum rapere niterentur. Æstimare licet ex hoc exemplo Ammonij,magnitudinem officij, quod requirit Episcopatus, cum tantus vir tantopere recusarit suscipere oblatum Episcopi munus. Itaq; monere nos debet hoc exemplum Ammonij,ne temere arripiamus vel ambiamus Ecclesiasticum ministerium, maximè cum ad id suscipiendum non vocamur legitime. Nihil enim periculosius est, quàm non expendere magnitudinem officij publici,& per ambitionem, sine certa & legitima vocatione, ingerere se ad docendum.

DE HORMISDA.

APud Persas nobilissimus iuuenis erat, nomine Hormisda cuius pater regius præfectus in magna æstimatione fuerat. Hunc itaque cum rex cognouisset Christianum esse, deduci ad se iussit, ac acerba oratione allocutus eum,præcepit, vt Christum & eius doctrinam abnegaret. Cui respondit Hormisda: Nec iustum nec vtile mihi

mihi præcipis Imperator, Nam qui docetur, vt Deum contemnat ac neget, facillime quoq; Imperatorem spernit, cum & ipse sit particeps naturæ mortalis. Et si summo supplico dignus est, qui tua sceptra contemnit, & quem tui pudet, quæ quæso supplicia illi satis esse possunt, qui Deum omnium creatorem & dominum neget? At Imperator cum debuisset potius mirari prudentiam iuuenis in respondendo, tam grauiter offensus est, quòd fortissimum athletam opibus & dignitate exuerit, & nudatum præfecerit exercitui camelorum. Sperabat enim futurum esse, vt hac contumelia eum ad fidei defectionem impelleret. Porrò exactis iam plurimis diebus, respiciens de superioribus Imperator, vidit illum eminentissimum virum solis ardoribus exustum, & pulueris squalore sordidatum, patriæq; nobilitatis memor eum ad sese iussit adduci, & rursus vestiri ipsum vestitu splendido & liberali. Et cum vocasset ipsum ad sese dixit: Scis in quantis sordibus iam per dies aliquot egeris, & nunc ex illis vicissim ereptus experiris meam erga te clementiam & humanitatem. Quare te adhortor, vt contemnas ac neges fabri filium. Hormisda audiens hoc verbum regis, zelo Dei repletus, dirupit vestem, & proiecit ante pedes Impe-

Imperatoris, inquiens: Si adeo es demens, ô rex, quòd propter hoc tuum munus me putas recedere à pietate, habeas tu tibi tuum donum, cum hac tua impietate, quam possides. Hanc eius constantiam contemplatus rex, nudum cum è suo imperio expulit.

DE APELLE Martyre.

Fuit Apelles primum consociatus hæresi Marcianæ, & acriter pro ea, vt est ferè pertinacia talium hominũ, & obstinatio animi, pugnauit. Satis literatus fuit tamen, sed conuictus est tandem de errore per sanctos tum homines, ità vt palinodiam cecinerit. Est autem memorabile hoc eius dictum, & dignum planè non memoria tantum, sed & vt eo in vsu vitæ semper vtamur, quod dixit: Fidei Christianæ & religionis eiusmodi esse conditionem, vt illam nullo modo ratione assequi queas, præstabilius esse multo & tutius, credere simpliciter scripturis, quam velle eas ratione inquirere aut discutere. Christiano satis esse aiebat iuxtà Pauli doctrinam, nosse Christum, & hunc crucifixũ. Nam hunc proram & puppim esse, vt aiunt, omnis salutis nostræ.

DE

DE SANCTO MARtino Episcopo.

IN historia Martini præclara testimonia extant veri Episcopi seu prædicatoris Euangelici. Ideo digna est, quæ diligenter cognoscatur. Et quanquam superstitiosis quibusdam figmentis sordidata est in multis locis, tamen ideo quæ in ea sunt optima & vtilia, contemni non debent. Primum quod ad temporis rationem attinet, fuit Martinus in illorum Episcoporum numero, qui sub Iuliano & Valentiniano Imperatoribus, doctrinam Euangelij & synceram religionem aduersus Arianorum hæresim constanter tutati sunt, atq; ex hac ipsa circumstantia temporum æstimare licet, fuisse Martinum vere pium præsulem, & vigilantem in tuenda doctrina Euangelij assertorem.

Patria ei fuit Saboria, Pannoniæ ciuitas, parentes nobiles habuit, sed impios ac hostes Christianæ religionis. Pater Tribunus militum fuit sub Iuliano Cæsare, atque hoc ipsum magnæ tum dignitatis officium erat, quod nō nisi summis viris contingebat. Porrò educabatur Martinus ad militiam quoq; patris sui exemplo. Cæterum

cum

cum Euangelium tum passim prædicaretur, puer adhuc Martinus ad audiendum sacras contiones subinde in templum ibat, ac Catechismum Christianæ doctrinæ perdidicit, & postea quanquam renitentibus parentibus baptizatus est. Hic verò quantam censes eum crucem, quanta odia & persecutiones, & parentũ, & aliorum sustinuisse? Cæterum matrem tandem ad Christianismum conuertit, pater ipsius mansit impius, haud dubie in gratiam Iuliani Cæsaris, qui summus contemptor fuit religionis Christianæ.

Porrò cum audisset Martinus, Hilarium Episcopum Pictauiensem rediisse ad suam Ecclesiam ex exilio, in quod pulsus erat per Arrianos, qui tum in admiratione apud Principes erant, & manifesta vi grassabantur in vere pios, nam & ab isdem Martinus quoque profligatus & eiectus erat ex vrbe, vbi in schola Euangelium docebat discipulos, quos habuit. Venit itaque ad Hilarium Episcopum, eiusq; doctrina & conuersatione tantum promouit in cognitione scripturarum, quòd & ipse Monasterium instituit, hoc est, scholam, in qua sacras literas docebat. Accidit autem, vt Turonenses Episcopum ac Superintendentem in sua Ecclesia non haberent. Itaq; ab illis Martinus vocatus est in Episcopum, vt inspi-

inspiceret Ecclesiam sua vigilantia, ne qua hæresis & falsa doctrina irreperet. Erant enim tum magna & aperta pericula ab hæreticis. Proinde factus Martinus Turonensium Episcopus, Christum sincere prædicabat, non sectas, non fiduciam operum docuit, sed tanquam fidelis dispensator Euangelium Christi prædicauit. Præterea quoq; extra populi frequentiam Monasterium, hoc est, publicam scholam constituit, in qua latine literas sacras tractabat in vsum studiosorum, de quibus spes erat, vt in docendo Euangelio aliquando Ecclesiæ possent prodesse. Et fuisse scholam hoc Monasterium, satis ex historia æstimare licet, quæ testatur habuisse Martinum supra octoginta discipulos & auditores in hac sua schola, illosq; intentos studijs scripturæ sacræ, vixisse sobrie & continentissime, extra omnem luxum. Nihil enim perinde obest ingenijs, quàm luxus & ebrietas. Atque ex hoc ipso Collegio discipulorum Martini multos factos esse Episcopos Ecclesiarum, testatur historia. Et hoc ipsum satis arguit, qua de caussa & Monasteria & collegia Canonicorum primũ sunt instituta, & in ipsis ædificijs collegiorum multa sunt vestigia, quæ scholas olim fuisse comprobant, & scholarum speciem adhuc hodie præ se ferunt.

Proinde

Proinde in officio sui Episcopatus hoc vnum conatus est Martinus, vt Christum fideliter doceret, & pro facultatibus suis pauperes semper adiuuaret. Fuit itaq; omnibus virtutibus veri Episcopi instructus, iuxta præscriptum Pauli, 1. Timoth. 3. cap. In doctrina potens erat, ad docendum suos, & ad conuincendum aduersarios. In vitæ conuersatione & moribus lenis & sobrius. Adhæc patientissimus quoq; in aduersis, nam ab ipsis presbyteris, & collegis suis sæpe grauissimas iniurias passus est. In orando & precationibus assiduus fuit, adeò etiam, quod vt Seuerus discipulus eius scribit, nullum vnquam horarum momentum præterijt, in quo non aut orationi aut lectioni incumberet. Hæc demum sunt testimonia veri Episcopi. Nam quod docere & prædicare Euangelium debeant Episcopi, etiam veteres Canones testantur. Nulla in hac historia Martini mentio fit de confirmatione Romani pontificis, de pallio magna vi aureorum redimendo, sicut hodie fieri solet.

Magnis tentationibus exagitatus est Martinus à Satana, vt specie sanctimoniæ & pietatis deceptus, deficeret à vera cognitione verbi ad impietatem aliquam. Accidit enim quodam tempore, vt diabolus regia purpura & diademate

ornatus, appararet ei sub persona Christi, cumq; taceret Martinus viso hoc spectaculo, ait ad eum diabolus. Agnosce Martine quem colis, Christus ego sum, descensurus ad terras, prius me tibi voluí manifestare. Et cum adhuc Martinus nihil responderet, rursus ait: Martine cur dubitas credere, cum me videas? Christus ego sum. Tunc ille verbo dei instructus per Spiritum sanctum, ait: Meus Christus crucifixus fuit, & vulneratus, ideoq; te tali in habitu nō recipio, neq; in te credo. Ad hāc vocē ille enanuit. Monemur hoc exemplo, ne apparitionibus spirituum credamus. Satan enim hoc agis, vt transformet se in angelum lucis, vt Euangelij veram doctrinam obscuret.

Porrò cum ageret iam Martinus annum octogesimum suæ ætatis, debilitari cœpit, & in febrim incidit, atq; cum grauiter ægrotaret, vt spes vitæ reliqua amplius non esset, hortatus est discipulos ad religionis studium, & vt hæreses pugnantes cum doctrina fidei vitarent. Illi verò flentes dixerunt. Cur nos pater deseris, aut cui nos desolatos relinquis? Inuadent enim gregem tuum lupi rapaces. Ille verò & luctu & precibus eorum motus, dixit. Domine si adhuc populo tuo sum vtilis non recuso laborem, fiat voluntas tua. Sed ipse oculis in cœlum fixis orans, non multo

post

post expirauit astantibus præsbyteris. In eius exequijs multi præclari viri fuerunt, qui postea Episcopi facti sunt. Constat quoq; ex historia Martini, Diaconos & Archidiacanos dispensatores eleemosynarum tunc fuisse in Ecclesia, non appellationes dignitatum. Legitur enim quod preceperit Archidiacano Martinus, vt pauperi cuidam vestem daret. Ille verò cum id facere neglexisset, & postea cum per occasionem videret Martinus adhuc nudum hominem, nulla veste vtentem, ipse suum pallium illi donauit. Ambrosius Episcopus alicubi meminit Martini in suis scriptis.

DE S. NICOLAO Episcopo.

TEstimonia veri Episcopi extant in historia de sancto Nicolao. Idcoq; digna est, quæ propter exemplum tractetur etiam in Ecclesia, vt intelligant homines pij, quod officium olim habuerint veri Episcopi in Ecclesia, & quod hac nostra ætate tantum fere hæreat Episcoporum titulus in illis hominibus, qui nomen Episcopale tantum sibi vsurpant, & nulla cura aut cogita-

tione veri Episcopalis officij tanguntur. Nicolaus qualis fuerit Episcopus, ex ipso annorum ordine facile intelligi potest. Vixit enim in Episcopatu temporibus Constantini Cæsaris, & in Mira celebri ciuitate Lyciæ Episcopus fuit. Cæterum vt præclaras virtutes sancti viri clarius cognoscamus, ordine singula recensebimus.

Natus est Nicolaus in florentissima olim Lyciæ regionis vrbe Patara, ex honestis & opulentis parentibus Puer adultus iam destinatus est à primis annis ad discendas literas, fuitq; ab ineunte ætate inprimis studiosus pietatis. Nam sententias scripturæ sacræ, quas vel in schola vel in publicis concionibus audierat, ediscere solebat, atq; in huius rei studio tantopere feruebat puer, quòd quando reliqui eiusdem ætatis adolescentes dimissi à præceptoribus, lusibus operam dabant, ipse se plerunq; ab illis subducebat, & conferebat se in Ecclesiam, vt sacras lectiones audiret. Nam illæ tunc temporis publice in Ecclesia tractabantur, quibus postea propter imperitiam hominum cantus horarum Canonicarum successerunt. Fuit itaq; hæc indoles ingenij, & hoc studium pietatis in Nicolao, quod singulari quodam beneficio Dei contigisse illi non est dubium. Et quia natura ducebatur adfectu quo-

dam

dam erga religionem, certum est non deseruisse eum hoc suum institutum in perdiscenda scriptura sacra, in qua haud dubie constituit ætatem suam consumere. Proinde mortuis parentibus, nihil per ambitionem aut insolentiam tentare cœpit. Nam contentus relictis à parentibus opibus, delegit priuatim honeste viuere, ducta haud dubie in matrimonium vxore honesta, pro ratione illorum temporum, & pro studio suo erga pietatem. Neq; vero vana quadam persuasione addictus fuit pietati, sed studuit eam re ipsa etiam & bonis operibus in iuuando proximo suo exornare. Vltro enim de suis facultatibus inopia laborantibus subueniebat, & inter hæc officia charitatis illud præcipuum exemplum commemoratur, quod conciui cuidam inopi tres filias iam nubiles habenti, tantum pecuniæ tribuit, quantum satis esse posset ad honeste collocandum puellas in matrimonium. Et hæc sunt vera bona opera, quæ scriptura ex fide, tanquam ex arbore fructus, dicit prouenire.

Iam vero cum iuxta præscriptam regulam Pauli de eligendo Episcopo, haberet Nicolaus eruditionis & pietatis probatum testimonium, accidit quod mortuo Miræ vrbis Episcopo, ipse per occasionem in Episcopum sit designatus,

idq; contra ipsius voluntatem. Nam cum isto tempore nemo facile reperiretur aptus ad hoc officium, & qui suscipere vellet, ob grauitatem tanti muneris, præsertim isto tempore, quo non solum persecutionibus, sed varijs quoq; hæresibus & sectis Ecclesia oppugnabatur, constitutum itaque erat inter Episcopos & presbyteros alios, vt quicunq; sequenti die primus in templum veniret, is Episcopus ordinaretur. Et cum iam seduli in oratione fuissent Episcopi, cum reliquis hominibus pijs tota ea nocte, vt dominus virum pium in messem suam extruderet, accidit vt Nicolaus ignarus huius conuentionis, summo mane veniret ad templum oraturus cum alijs, pro successu Ecclesiæ in eligendo Episcopo. Itaq; ipse hac occasione Episcopus statim designatus est. Et quanquam sedulo reluctaretur, agnosceretq; se indignum hoc tanto munere, tamen præter suam voluntatem Episcopatum suscipere coactus est, et qui ciuis iam erat antea, gubernationem Ecclesiæ suscepit. Et hinc est quoq;, quod S. Nicolaus olim vulgo dictus sit ein leyen Bysschoff/ non quod fuerit laicus indoctus, & homo stupidus, sed quod ex priuato ciue publicus Ecclesiæ Superintendens ac pastor factus sit. Nulla hic fit mentio de cœlibatu Sacerdotum, ac redimendo

pallio,

pallio, & emenda confirmatione à pontifice Romano. Neq; enim fuit isto tempore tanta autoritas Papæ, quanta nunc est, sine iure & autoritate verbi dei. Porro postquam publicæ gratiæ actæ sunt Deo pro inuento Episcopo, & cura Ecclesiæ gubernandæ commissa est Nicolao ab Episcopis & presbyteris, summa cura aduigilauit, vt iuxta præscriptum Pauli, officijs veri præsulis fungeretur. Nam quod ad potissima officia Episcopi attinet, sedulus fuit in orando, diligenter meditabatur in sacris literis, efficax erat in docendo, alacer in exhortando, & arguebat cum omni præcipiendi studio, vt sana doctrina fidei & bonorum operum conseruaretur. Hic vero si temporum & annorum statum consideres, non dubium est pium virum grauissima certamina sustinuisse, contra inualescentes hæreses Arrij & aliorum, nonnunquam etiam se magnis periculis obiecisse, propter salutem Ecclesiæ suæ. Quod attinet ad vitæ mores, exemplar gregis commissi fuit, vixit enim sobrie & frugaliter. Omnibus se æquabilem præbuit, & quantum in ipso erat, inopia laborantes adiuuit.

Memorabile inprimis hoc est exemplum, quod narratur de diuo Nicolao, qui, cum esset publica fames in Lycia regione, audiuit forte

appuliſſe in portum naues frumento onuſtas, adijt ipſe nautas, rogans, vt aliquantum frumenti quiſque ex ſua naui venderet in ſubſidium populi, quod illi ſe non poſſe facere adfirmabant, nam menſuram frumenti acceptam reddendam eſſe Cæſaris præfecto, in alia quadam vrbe. Ille nihilominus inſtabat orans, vt facerent quod ab ipſis peteretur. Ecce, inquit, promitto vobis curaturum Deum, quòd nullam frumentorum diminutionem ſentiet Imperatoris exactor. Dominus enim qui dixit: Date & dabitur vobis, efficere poteſt, vt propter hoc beneficium nihil decedat frumento, id quod factum quoque eſt. Nam acquieſcentes nautæ verbis & perſuaſionibus Epiſcopi Nicolai, ſubuenerunt hominibus fame periclitantibus, & poſtea compererunt eandem menſuram frumentorum beneficio Dei ſingulari conſeruatam eſſe, & integram adhuc in reddendo miniſtris Imperatoris. Obſeruatu dignißimum hoc eſt exemplum, & minime contemnendum, quippe quod teſtatur Chriſti promiſſionem veram eſſe: Date & dabitur vobis. Vſu enim comperimus, beneficia collata in vſum indigentis proximi, à Deo cumulatiori menſura reddi. Cæterum grandæuus iam Nicolaus Epiſcopus, & ætate ac laboribus feſſus, ægrotare cæpit,

cœpit, & cum sensit ob corporis nimiam debilitatem, iam finem vitæ suæ adesse, conuocatos fratres & presbyteros docet ac hortatur, vt à sana doctrina fidei non discedant. Ac ipse non multò post tradidit Spiritum suum in manus patris. Sunt qui affirmant, interfuisse ipsum Niceno Concilio, Sed incertum est. Apparet enim grandiori ætate fuisse Nicolaum, & iam sub ipsum tempus Nicenæ Synodi mortuum.

DE SANCTO BLASIO Episcopo.

IN historia de sancto Blasio Episcopo multa sunt portentosissima mendacia, ideoq; cum iudicio ea tantum excerpenda nobis sunt, quæ cum sacris literis, & doctrina Euangelij consentiunt. Primum itaq;, cum haberet Blasius inter Christianos magnam pietatis & modestiæ commendationẽ, electus est vno consensu Christianorum in Episcopum in Sebastia Cappadociæ ciuitate. Porro suscepto Episcopatu, Euangeliũ de Christo prædicauit, ac omnem veterem cultum & religionem Deorum reiecit. Proinde propter Tyrannidem & persecutionem Diocletiani in Chri-

stianos, deserere suum ministerium, & in locum solitarium profugere coactus est. Cæterum repertus tandem à Cæsarianis, adduci non potuit, vt idolis sacrificaret, sed intrepide Christum confessus est, damnans omnem superstitionem & idolatriam gentium. Qua de caussa primum coniectus est in carcerem, & cum confessionem Christiani nominis constanter tueretur, ad supplicia raptus est, & tandem capite truncatus. Quæ asscripta sunt de miraculis, & de petitione eius pro laborantibus dolore gutturis, omnino sunt fabulosa & impia, contra primum & secundum præceptũ decalogi, & totam doctrinam de Christo vnico seruatore nostro, quam dum viueret, prædicauit Blasius, constanter & sincere.

DE IOANNE ÆGYptio Monacho ex vitis patrum.

IOANNES Ægyptius Monachus, eruditione & vitæ sanctimonia insignis, multos ad se fama sui nominis in eremum traxit, eosq; in sacris rectè institutos dimisit, præterea & hospitalitatis officio vsus est in peregrinos. Claruit & dono prophetiæ in prospiciendis rebus futuris, id

quod

quod & Ecclesiastica historia testatur. Nam Theodosio Imperatori victoriam prædixit contra Tyrannum Eugenium. Hortari solebat homines, ad se consilij capiendi caussa aduenientes, vt liberos suos recte educari, & in sacris literis institui curarent, id quod cuidam præfecto militum suasit, inquiens. Filiolum tuum, qui iam tibi natus est, & pro quo debes gratias Deo agere, educabis septem annis in domo tua, & postea trade eum Monachis erudiendum sanctis & cœlestibus disciplinis. Vnde constat, Monasteria in Ægypto olim fuisse scholas, in quibus sacræ literæ tradebantur sincere & fideliter, sine omni stulto voto & impia superstitione, quali apud nos Monachi vsi sunt. Porrò accidit, quod Hierosolymis quidam Christiani in Aegyptum venissent, fama huius tanti viri perducti, sperantesq; sibi sanctimoniæ aliquid accessurum ex colloquio huius viri, & cum id animaduertisset, ait ad eos, se mirari, quòd tanti itineris labores suscepissent sua caussa. Nihil inquit, in me dignum vestra expectatione videbitis, homines enim sumus viles. Et si quid esset tale in nobis, quod expetitis, id domi vestræ legere in Prophetis & Apostolis potestis, qui vtiq; ob hoc in omnibus dei Ecclesijs recitantur, vt fidei & vitæ exempla hominibus

non

non de longinquis & peregrinis locis quæran-
tur, sed domi vnusquisquè apud se habeat, quod
debeat imitari. Volult igitur sanctissimus vir, ne-
minem à verbo dei ad suorum operum admira-
tionem abduci. Ipse autem minimè arrogans, mi-
nimequè securus, valde hortatus est illos ipsos,
vt tanquam à peste quadam contagiosa cauerent
sibi à præsumptione, & securitatis vitio. Nam
quantum mali adferre soleat vtraq; pestis pijs
hominibus, id exemplis declarauit. Et testatur
Dauidis exemplum, quàm hic sibi timere opor-
teat sanctos.

DE S. ANTONIO.

ANTONIVS bonis & opulentis parenti-
bus prognatus erat, & iam inde à puero
pietatis studia sectatus, atq; vt diligentius medi-
taretur in rebus sacris, vitam amauit solitariam
& secessum, ibiq; parcissime & sobrie vixit. Gra-
uissimas sæpe tentationes & insidias dæmonum
pertulit, easq; vicit non fiducia suorum operum,
sed fide & oratione. Accidit autem, quòd ob ma-
gnitudinem & vehementiam tentationum exa-
nimis fieret, ac penè mortuus putaretur, Cæte-
rum reuersus ad sese illusit diabolo, inquiens.

Fides

Fides in Christum inexpugnabilis murus est nobis. Porrò tentationes Antonij argumento sunt, eam esse infirmitatem naturæ humanæ, etiam in pijs, quòd nisi adsit Deus, non possunt aduersus tentantem Satanam persistere, imo etiam in tentationibus videntur nonnunquam quasi relicti à Deo. Id quod Antonij exemplum testatur, qui vbi redijsset ad se post graues Satanæ impetus, magno cum suspirio dixit. Vbi eras bone Iesu, vbi eras? Quare non à principio adfuisti, vt adiuuares. Et vox facta est ad eum: Antoni hic aderam, sed expectabam videre certamen tuum, quasi dicere vellet: Ideo permisi te tentari & cædi à Diabolo, non vt perderem te, sed probarem ac confirmarem fidem tuam.

Porrò quod ad victum Antonij attinet & curam corporis, edebat vt reliqui homines, sæpe solus, sæpe cum fratribus. Accidit autem non semel, quòd cum sederet prandens cum fratribus suis à cibo qui fuerat appositus, meditationibus & memoria escæ spiritualis abstrahebatur. Et quanquam ipse modico cibo vteretur, tamen admonebat fratres reliquos, habendam esse magnopere corporis curam, dicens: Corpus non esse enecandum penitus, ne operatio contra voluntatem creatoris dissolueretur, & ob id omne studium

studium animæ conferendum, ne vicijs corporeis pollueretur.

Quòd attinet ad professionem Christianæ fidei, tutatus est eam magna constantia & grauitate, tum contra Manachios & Arianos, quos Antichristi præcusores appellauit, tum contra philosophos etiam, quibus ludibrio erat doctrina de Christo crucifixo. Accidit quod tentandi Antonium caussa veniſſent Philosophi duo homines sapientes & acuti, in cum locum, vbi tum habitabat Antonius cum suis discipulis Monachis. Hos ipse vltro accessit, & primum confutauit idolatriam gentium, deinde doctrinam de Christo crucifixo talem esse ostendit, quam non intelligere rationis humanæ captu, sed credere ex prædicato verbo oportet homines. Sophismata inquit, fallacia sunt, nos Christiani mysterium vitæ nostræ non in sapientia mundi habemus repositum, sed in virtute fidei, quæ nobis à Deo tributa est per Christum. Ecce nos simplicem fidem edocti idolatriam debellauimus, & per prædicationem ignominiosæ crucis Christi aurata templa Deorum ceciderunt. Vbi nunc sunt fabulosa oracula, vbi Ægyptiorum incantationes, quo Magorum profecere carmina? Certe vastata sunt, & ceciderunt omnia, postquam Euangelium

de

de Christo cœpit. Quin & illud mirum est, quòd impius cultus Dei ac idolatria, nunquam regali infestatione concussa, imo hominibus & mundo chara, & hominum præsidijs fulta, iam corruit, cum interim nos Christiani infirmissimus, nullo freti externo præsidio, & quo plus premimur, eo magis assurgimus & floremus. Christi doctrinam, quæ vobis stultitia & ludus videtur, licet Tyranni grauiter persequuntur, licet varios perferat terrores, nullo tamen terrarum orbe concluditur, nullo gentium barbararum fine prohibetur. Sed hæc ad Philosophos. Atqui verò præclara hæc pietatis testimonia fecerunt, vt Constantinus Augustus, & filij eius Constans ac Constantius magna Antonium in admiratione haberent, ad cumq; tanquam ad patrem subinde literas mitterent consilij capiendi caussa. Et rescripsit ad illos Antonius, ac primum hortatus est, vt potissimam curam haberent synceræ religionis conseruandæ. Deinde vt in imperio constituti homines se esse agnoscerent, nullaq; Tyrannide vterentur. Nam Christum iudicem haberent, ideoq; clementia vtendum esse erga subditos, & curam pauperum non esse posthabendam.

Vsu aliquando venit, quòd cum operaretur aliquid Antonius assidentibus fratribus, intente

oculos

oculos in cœlum fixit gemens atq; suspirans, & cum valde turbaretur, genibus flexis orare cœpit. Interrogatus à fratribus semel atq; iterum, quid rei esset cur tantopere commoueretur? vix tandem cum ingenti mœrore & fletu respondit. Magno, ô fratres, turbine fides Christiana post nostra tempora subuertetur. Vidi enim altare domini mulorum circundatum multitudine, qui crebris calcium ictibus omnia dissipabant. Hæc caussa est gemituum, quos audistis. Significauit haud dubie hac visione Deus in nouissimis temporibus prophanationem illam testamenti dominici, in Missis sacerdotum impurorum sub Papatu, quando omnia sacra humanis traditionibus polluta & dissipata erant.

Accidit vt tempore quodam euocaretur Antonius cum aliquot fratribus suis, à Iudice quodam præfecto, cam ob caussam, vt sontes aliquot captiuos & plectendos consolaretur. Itaque monuit primum Iudices, vt in sententia proferenda, & odio & gratiæ timorem Dei anteponerent, & iustè iudicarent. Et postquam commonendo iam ad pietatem vsus est suo officio, non passus est diutius se precibus Iudicis retardari, nc ipse & fratres sui ab instituto studio suo retraherentur, inquiens: Quod sicut pisces extra

aquam

aquam mox in arenti terra putrescerent, ita & Monachos ac studiosos iuuenes, prophanorum hominum conuictu ac familiaritate vtentes, depravari, & prophanis confabulationibus corrumpi, ideoq; conuenit nos ad intermissa studia nostra redire, ne tardantibus nobis aliqua propositi boni succedat obliuio.

Balacius quidam dux in Ægypto, sub Nestoreo præfecto Alexandriæ, persequebatur Euangelium, & vere credentes. Nam Arianæ sectæ addictus erat. Hunc monuit Antonius per literas, vt non ita crudeliter grassaretur contra Christum, nam futurum alioqui, vt breui iusto Dei iudicio periret. Desine inquit, persequi Christianos, ne te ira Dei occupet. Cæterũ cum hanc admonitionem Antonij contemneret Balacius superbe, accidit quòd post paucos dies cum equitaret iuxta Nestoreum, casu inopinato equus Nestorei repentino morsu eum decuteret ab equo, cui insidebat, & propemodum laceraſſet, nisi accurrentium ministrorum præsidio fuisset seruatus. Delatus in vrbem est grauiter læsus, & non multò post magno cruciatu interijt, suæq; impietatis pœnas dedit. Sed de his iam satis, reliquum est vt de morte eius quædam adscribamus.

Cum ageret Antonius annum quintum supra centesimum, sensit præ corporis & virium suarum imbecillitate se diutius viuere non posse, ideoque de morte sua iam instante commonebat fratres, & testamentum conditurus, in hanc sententiam alloquutus est fratres. Ego iam ex voluntate Dei ingrediar viam patrum meorum, & videre cupio cœlestia. Sed vos ô viscera mea admoneo, vt cogitetis hanc vitam momentaneam esse, & magnas insidias esse atq; feroces impetus Satanæ, ideoq; Christum suspirate, & fidem in nomine eius infixam animis vestris retinete, nam per eam vniuersi dæmones fugabuntur. Ad hoc illud sedulo moneo, vt schismaticorum & hæreticorum venena vitetis, meumq; erga eos odium sectemini, quia Christi sunt inimici. Scitis ipsi, nullum mihi vnquam cum illis pacificum sermonem aut familiare colloquium fuisse, idque propter deprauatam illorum voluntatem & pertinax bellum contra Christum. In hoc autem solliciti estote, vt Domini præcepta seruetis. Hæc cogitate, hæc sapite, hæc retexite, & si qua cura mei vobis est, sepelite corpus meum, & nemo locum tumuli mei nouerit, ne in Ægyptum relatum corpus meum vano aliquo honore adficiatur. Mos enim Ægyptijs erat, nobilium & praci-

præcipue martyrum beatorum corpora non sepelire, sed aromatis peruncta & linteamine tantum obuoluta super lectulos ponere, vel in arculis conseruare. Et non dubium est hunc morum vngendorum corporum, Iudæos ab Ægyptijs mutuatos esse, atq; hinc est quòd & ossa Iacob Patriarchæ transtulerunt filij Israel in terram Canaan. Vestimenta sua legauit Antonius partim Athanasio, partim Serapioni Episcopis, partim etiam fratribus. Et hoc ipsum testatur, Monachorum vitam tum liberam fuisse, & nulli certo voto astrictam, sicut nostra ætate sub papatu. Fuerunt enim fratres sui iuris tunc temporis, ideoque & propria tenebant, sitquè in tota historia Antonij nulla mentio regulæ & Romani Pontificis, aut votorum professionis.

EX VITIS PATRVM selectoria exempla, digesta in communes locos.

EXEMPLA LIBERTAtis Christianæ, & superstitionis circa eandem.

EGressi sunt aliquando de monasterio fratres ad inuisendum eos Patres, qui in eremo commorabantur, & cum venissent ad seniorẽ quendam, virum pium & optime intelligentem vsum Christianæ libertatis, susceptí sunt ab eo perquàm benigne & magno cum gaudio. Ilico parari mensam iussit, & fatigatos iam ex itinere refecit suauiter, idq; etiam ante solitam cœnandi horam. Caterum sub vesperum vnà orabant, & psallebant. Porrò cubitum euntes fratres, qui aduenerant peregrè, loquentes inter se audiuit senior pater in proximo conclaui: Miramur, inquiunt, tam laute viuere eremitas. Dissimulat senior rem omnem. Mane verò cum pergerent ad alium quendam eremitam, qui in vicino loco habitabat, iussit senior, vt cum suo nomine salutarent,

tarent, simulq; dicerent, obserua pater, & noli irrigare holera. Atqui verò ille statim intellexit rem omnem, & lassos ex itinere orare & psallere iussit, ac tandem parum panis cum sale & aceto apposuit. Id verò indigne ferentes fratres, ipsa nocte priusquam dies illucesceret clam ex eo loco profugerunt, intelligentes tum demum se suæ imprudentiæ & superstitionis pœnas dedisse. Est hoc insigne exemplum Christianæ libertatis, contra superstitiosos quosdam hypocritas, qui temere damnant alios, interim vsum libertatis Euangelicæ non intelligunt, neq; norunt bonis dei creaturis vti cum gratiarum actione.

ALIVD.

Agathon Abbas summa in rebus omnibus discretione & moderatione vtebatur, tam opere manuum suarum, quàm etiam in vestitu. Talibus enim vestimentis vtebatur, quæ nec nimis bona, nec nimis mala cuiquam videbantur. Testatur hoc exemplum fuisse olim apud Patres nullam superstitionem in certo quodam colore aut genere vestitus, sicut fuisse constat apud Monachos nostros in papatu.

ALIVD.

Syluanus Abbas exire de cella sua nolebat, & quoties exire cogebatur, operiebat cucullo faciem suam dicens. Quid necesse est videre lumen illud temporale, in quo nihil est vtile? Non satis pie dictum est hoc à viro pio, & exemplum est crassissimæ inscitiæ, ne dicam blasphemiæ & ingratitudinis pro creaturis Dei bonis. Paulus ad Romanos 1. cap. ait, ex consideratione visibilium rerum cognosci inuisibilem Dei potentiam & virtutem. Et Psal. ait, quòd Sol & Luna laudant Dominum. Adscripsimus hoc exemplum, vt ex eo & similibus iudicare discamus, nunquam in Ecclesia homines superstitiosos, inciuiles & morosos defuisse, ideoque promiscue sineq; delectu non sunt ad imitationem proponenda Patrum exempla, sed ad veræ fidei regulam & scripturæ analogiam prius ea expendas oportet.

ALIVD.

PLenum est superstitionis hoc quoque exemplum quod de Abbate Machario legitur, ad quem cum venisset Theodorus pater & diceret, se tres codices habere, & sibi & patribus alijs valde

valde vtiles, ideoq; se illis non libenter velle carere. Dic tamen tu mihi, inquit, quid fieri expediat. Cui Macharius. Boni sunt quidem actus, sed maius est omnibus, nihil possidere. Quo audito abijt & vendidit libros, & acceptam pecuniam pauperibus elargitus est.

DE THEODORO MONACHO, qui sub pietatis zelo plusquam impiè superstitiosus fuit.

IN vita Pachonij Monachi scriptum est, Theodorum Monachum quendam præ nimia sanctitatis persuasione propriam matrem suam videre non voluisse, & multò minus ad colloquium mutuum admittere. Ingressus enim erat monasticam vitam Theodorus ignorante matre, quæ postquam intellexit eum esse in collegio Monachorum, cui Pachomius præerat, illicò eo profecta est, deferens secum Episcoporum scripta, quibus præcipiebant, vt matri filius redderetur. Tradidit literas Pachomio, & simul obsecrat vt permittat sibi videre saltem filium suum. Pacho-

mius rem omnem de literis Episcoporum & aduentu matris indicat Theodoro, admonens cũ vt matris desyderio satisfaciat. Ad quod respondit Theodorus. Si prius me feceris certiorem venerabilis pater, quòd post tantam rerum spiritualium cognitionem, non dabo inde rationem in die iudicij, vltro quod præcipis faciam. Nam iuxta mandatum Christi matrem meam cum toto mundo deserui. Nam si ante manifestationem tantæ gratiæ, filij Leui parentes proprios ignorarunt, vt iustificationes legis implerent, quanto magis ego qui tanti muneris particeps factus sum, parentes non debeo diuinæ maiestati præponere, dicente Domino in Euangelio: Qui diligit patrem & matrem plusquam me, non est me dignus. Itaq; respondit Pachomius. Si putas id tibi non expedire, non cogo te. Est autem hoc eorum, qui perfectè renunciant mundo huic, & seipsos penitus abnegant. Oportet enim Monachos inutiles & seculares salutationes & colloquia vana diffugere, & his qui membra Christi sunt pia mente sociari. Si quis passione quadam seculi ductus dicit, parentes caro mea sunt, eos diligere debeo, audiat beatum Paulum dicentem, à quo quis superatur, eius seruus efficitur. Proinde commotus hac Pachomij concione Theodorus, noluit se matri

tri suæ præsentare. Ideo autẽ hoc factum adnotare voluimus, quod insigne superstitionis & ignorantiæ exemplum est, & quod, sicut Paulus de Iudæis dixit, zelum pietatis quidam ex patribus & eremitis habuerunt, sed non secundum scientiam. Impietas erat & peccatum grauissimum, ne dicam diabolica quædam pertinacia & feritas, matrem Christianam contemni à filio, & non admitti ad colloquium. Certe talis zelus & spiritus ex Deo non est, qui nõ curat præceptum Dei de honorandis parentibus. Aliud est propter parentes deserere Euangelium. Testatur itaque vel vnum hoc exemplum de Theodoro Monacho & Pachomio, quod quidam ex patribus superstitiosi & morosi potius, quam pij fuerunt, ideoq; minime tutum esse imitari patres illos, nisi doctrinam illorum referas ad fidei anologiam, & opera eorum ad præcepta decalogi.

ALIVD.

Frater quidam abstinens à cibis & non manducans, venit ad senem quendam patrem, virum pium & prudentem, ad quem etiam sub idem tempus venerunt alij peregrini, quibus cibum parari iussit. Porrò edentibus iam fratribus

tribus, frater ille abstinens apposuit sibi soli ciceris legumina & manducabat. Et cum surrexissent à mensa, aduocauit eum senex secretò, & dixit ei. Frater, si venis ad aliquem, non ostendas illi conuersationem tuam. Si autem tuos mores & conuersationem retinere voles, sede in cella tua, & nusquam exeas. Prudenter certe & humaniter instituit senex imperitum fratrem, qui admonitione illa prudentior factus, postea cœpit communiter viuere, & edit quæcunq; apud fratres inuenisset. Oportet certe nos in communi vita ita mores nostros comparare, ne morosi & inciuiles videamur, estq; hoc ipsum non tantum postremum officium humanitatis, sed etiam pietatis & charitatis Christianæ, in quo Christum ipsum excelluisse testantur Euangelistæ, & Paulus dicit, se omnia factum omnibus.

ALIVD.

IDem senex dixit. Aut fuge homines, aut irridens mundum & homines qui in mundo sunt, stultum temetipsum in pluribus facito. Significare enim voluit hic senex, plurima esse dissimulanda, neque summo iure agendum esse, cum in com-

communi conuersatione hominum, tum verò maxime in functionibus publicis.

ALIVD.

FRater quidam interrogauit quendam ex patribus dicens. Si contingerit me somno grauari, & transierit hora ministerij mei, anima mea præ verecundia non vult implere opus suum. Et dixit Senex. Si contigerit te vsq; mane dormire, quando euigilas, surge, & fac opus tuum. Scriptum est enim. Tuus est dies, & tua est nox. In omni enim tempore glorificatur Deus.

ALIVD.

ABbas Cassianus venientibus ad se fratribus non seruauit jeiunij regulam, & cum interrogaretur, quare id faceret, respondit, Iciunium semper meum est, Vos mecum semper non estis, & jeiunium quanquam vtile est, tamen in nostra voluntate est. Charitatis autem plenitudinem lex Dei exigit à nobis, vnde suscipiens vos in Christo, ea exhibere debeo cum sollicitudine, quæ charitatis sunt, Abeuntibus autem vobis, jeiunij regulam recuperare possum.

ALIVD.

ALIVD.

Frater quidam venit ad Abbatem pastorem in secunda hebdomada quadragesimæ, quærens ab eo consolationem. Veniens autem dixit: Ego citius libenter venissem, sed non audebam. Verebar enim ne propter quadragesimam non aperiretur mihi. Cui Abbas, Nos non didicimus ianuam ligneam claudere, sed magis linguæ ianuam cupimus clausam habere. Significauit enim obtrectationis vitium fugiendum esse inter fratres.

EXEMPLA DE AFfectibus, & occasione peccatorum, & mortificatione.

MVltorum fratrum, qui in Eremo & Monasterijs vixerunt, exempla extant, qui conquesti sunt sæpe, subinde se grauissima tentatione de fornicatione sollicitari. Alij enim putabant sæpe per insomnia se astantem sibi mulierem videre, alij de puellarum choreis etiam inter orandum & psallendum cogitabant. In hoc æstu

& feruore libidinis patres plerumq; ad pacientiam tantum hortabantur iuuenes, & vt pugnarent fortiter contra Diabolum. Sed fratres quidam econtra sentiebant & agnoscebant se nullo consolationis spiritualis genere expellere posse insidentes naturæ flammas. Interim vero in tantis periculis iuuenum non intellexerunt Patres, naturam procreandæ sobolis ac contrahendi matrimonij inditam esse à Deo, & contra istum naturæ ardorem vnicum esse remedium à Deo institutum, vxorem ducere & nubere. Quanto melius Paulus Apostolus hic sensit & docuit 1. Corinth. 7. Propter fornicationem quisque habeat suam vxorem, Item: Melius est nubere quam vri. Et Christus ipse ait, Matth. 19. cap. Masculum & fœminam creauit Deus.

ALIVD.

QVod Paulus ait: Castigo corpus meũ & in seruitutem redigo, id pulchrè expressũ est in exemplo Monachi cuiusdam, qui cum semper quereretur, grauiter se laborare fornicationis affectu, & interim ociosus ac securus nihil ageret. Porrò cum precaretur patrem seniorem, vt pro se oraret Deum cum fratribus contra hanc

hanc suam tentationem, ait ad eum pater, licet in omni tentatione sancti Patres orent Deum pro eis, qui orationibus eorum se postulant iuuari, frustra id faciant, dum illi quoq; vnà non orant, & vitare non student occasiones peccatorum, sed negligentes interim sunt & dissoluti, minimeq; cogitant de salute animæ.

ALIVD.

DVo fratres corpulenti ad Eliam Abbatem venerunt, qui querebantur se impugnari prauis cogitationibus & concupiscentijs. Videns eos senex obeso & bene curato ventre esse, tanquam ad discipulum suum subridens dixit: Certe frater pudet me tui, quòd cum sis Monachus, talem te ventrem, habere videam, Pallor enim & macies cum humilitate decus est Monachi, non corpulentia.

ALIVD.

ACcidit vt frater quidam veniret ad Abbatem pastorẽ, & conquereretur cogitationes multas & malas venire in animum suum, & se periclitari in eis. Et ilicò iussit senex vt è domo egressus expanderet sinum suum & comprehenderet

deret ventos. Cui ille: non possum hoc facere. Ad quod respondit senior: Si hoc non potes facere, nec cogitationes prohibere poteris ne introeant in animum, sed tuum est resistere eis, ne erumpant & dominentur.

ALIVD.

FRater quidam dixit ad alium Abbatem Syonem dictum. Quare non recedunt à me affectus seu passiones Respondit. Quia vasa earundem passionum in te sunt.

ALIVD.

DIxit senex alius. Nisi exterior homo noster sobrie incesserit, impossibile est custodiri interiorem, hoc est, externas occasiones peccandi vitandas esse, sicut Apostolus præcepit: Non commiscearnini cum adulteris, ebrijs, &c.

ALIVD.

ABbas Isidorus quæsitus de prauis affectibus, & inprimis de cogitatu fornicationis, respondit. Si cogitationes non habemus, ferarum

similes

similes erimus. Sed sicut inimicus, quod suum est exigit, ita nos quoque quod nostrum est implere debemus. Insistamus orationi, & inimicus fugabitur, vaca meditationi Dei & vinces.

ALIVD.

Cum fateretur frater quidam cuidam seniori ex Patribus, viro pio & prudenti, se sentire quotidie prauas cupiditates in animo & corpore suo, easquè non posse reprimere, Respondit senior: Esse in natura nostra prauas concupiscentias, easquè cohiberi non posse, perinde atque aues cohiberi non possent, quo minus supra nos in aëre volitent, sed arceri posse, quo minus in capitibus nostris nidulentur, hoc est, resistere nos posse peccatis, vt non dominentur, sicut docet Paulus ad Romanos 6.

EXEMPLVM DE OCCAsione peccandi, & officio charitatis in ferenda infirmitate alterius.

DVo fratres Monachi abierunt in proximam ciuitatem, vt distraherent, quæ manibus suis per totum annum operati essent, Alter egressus est ad distrahendas res, & coëmenda ad victum necessaria, Alter verò qui in hospitio mansit, incidit per occasionem interea in adulterium. Porrò cum reuerteretur in diuersorium alter frater, confessus est crimen suum, noluitq; cum eo in eremum redire. Quod cum audisset, statim respondit, se quoq; per occasionem in idem flagitium esse prolapsum. Reuertamur itaque, inquit, ambo & pœnitentiam agamus. Misericors enim Deus vltro ignoscere solet pœnitentibus. Reuersi itaque ambo in monasterium sunt, atq; ita frater fratrem per charitatem lucratus est, dum fortior et perfectior peccatorem & infirmum fratrem non contempsit, sed tolerauit iuxta præceptum Pauli: Alter alterius onera portate. Item: Vos qui firmiores estis,

debetis imbecillitatem infirmiorum sustinere. Sic & Christus pro nobis factus est peccatum, vt de peccato nos eriperet, &c.

EXEMPLA DE PRÆsumptione & securitate.

QVidam senex cum venisset ad alium quendem seniorem Patrem, dicit ei. Ego iam mortuus sum huic seculo. At alter respondit. Ne confidas in teipso, donec egrediaris de corpore. Nam etsi tu dicas, mortuus sum, Diabolus tamen viuit, & nec dum mortuus est. Intellexit hic senex haud dubie, semper nos esse expositos insidijs Satanæ, qui tum maxime metuendus est, cum in summa securitate constituti nihil periculi timendum esse, putamus, ideoque vigilandum nobis esse, iuxta illud Petri: Vigilate & sobrij estote, quia aduersarius vester Diabolus circumit nos tanquam Leo rugiens, quærens quem deuoret.

ALIVD.

DIcebat quidam senex, qui iam annos supra quinquaginta durissime vixerat, adeo etiam quod

sæpe

ſæpe à pane abſtinuerit, is inquam dixit. Se fornicationem & reliquas prauas cupiditates, auariciam & vanam gloriam extinxiſſe, neq; ſentire amplius. Hoc cum audiſſet Abraham Abbas, homo prudens & pius, reprehendit hominis temeritatem inquiens: Noli ſic gloriari, nam viuunt & hærent in natura paſſiones ſeu malæ concupiſcentiæ, ſed tantum ſanctis viris quodammodo ligantur, ne erumpant. Senſit ſanè id quod Apoſtolus docet credentes de mortificatione, ad Rom. 6. Peccatum non dominabitur vobis.

ALIVD.

ABbas Mutues dixit. Quanto magis homo Deo appropinquauerit, tanto magis ſe peccatorem agnoſcet. Non oportet igitur nos ſecuros eſſe, & putare nos in tranquillo nauigare, nam in tranquillo ſæpe ex ſecuritate nauis illiſa ſcopulis perit, vbi per ſollicitudinem ſeruatur in tempeſtate.

ALIVD.

BEATVS Antonius dixit. Nunquam homo bonus eſt, etiam ſi bonus eſſe deſideret, niſi Deus

in ipso habitauerit, quia nemo bonus, nisi solus Deus. Oportet ergo vt nos ipsos semper incusemus, & nunquam securi simus. Semper enim reliquum aliquid in nobis deprehendimus, propter quod orare cogimur: Dimitte nobis debita nostra.

ALIVD.

ERat quidem senex durissimæ vitæ Mondchus, qui perpetuis se in cella sua laboribus fatigabat, & vili quodam tegumento non vestitus sed tectus tantum vtcunquè erat. Is vero cum perrexisset ad Abbatem Ammonem, vidit eum Abbas vtentem vilissimo stragulo vestis loco, & dixit ei: Hoc tibi ad salutem nihil prodest frater. Et dixit ei senex. Tria cogito, & nescio quod debeam eligere potissimum ex illis. Vnum est, quod cogito in eremum concedere. Alterum, vt prregrina loca adeam, vbi me nemo cognoscat. Tertium, vt includam me in cella & neminem videam, & non nisi post biduum comedam. Dixit ei Abbas, Nihil tibi ex his tribus facere prodest, sed magis sede in cella tua, & comede parum quotidie, & habe semper in corde tuo publicani illius in Euangelio sermonem.

nem: Deus propicius esto mihi peccatori, & ita poteris saluari.

ALIVD.

INterrogauit ijsdem ferè de rebus abbas Longinus abbatem Lucium dicens. Habeo tres cogitationes. Vnam vt ad peregrina vadam. Et respondit senex: Si non tenueris linguam tuam, quocunq; perrexeris, non eris peregrinus, sed refrena linguam tuam, & eris hic peregrinus. Secundo proposuit Longinus abbas. Alia mea est cogitatio, vt jeiunem per biduum. Et respondit Abbas Lucius: Esaias dicit: Si incurua-ueris velut circulum ceruicem tuam, nec sic erit acceptum jeiunium tuum, sed magis contine mentem tuam à cogitationibus malis. Tertium quod proposuit abbas Longinus. Constitui mecum, vt declinem hominum aspectus. Et respondit Lucius: Nisi prius correxeris vitam tuam inter alios conuersando, neq; solus habitans corrigere te poteris.

ALIVD.

FRATER quidam ad patrem seniorem dixit:

Nihil pugnæ sentio in corde meo. Cui senex respondit: Tu sic es, velut quadrigemina porta, vt quicunque voluerit intret, & quicunq; voluerit exeat, & non intelligis, quæ aguntur. Nam si conscientiam haberes veluti ianuam, nec permitteres prauis affectibus liberum aditum, tunc sentires stantes foris & pugnantes contra te. Significare hoc modo voluit hic senex, hominem securum & vanum nullam peccati conscientiam habere.

ALIVD.

ANtonius Abbas dixisse fertur ad Abbatem pastorem. Hoc est magnum opus hominis, vt non sit securus, sed vt culpam suam super se coram Domino ponat, & expectet tentationem, vsq; ad vltimum suæ vitæ tempus.

ALIVD.

INTEGER & pius quidam vir fuit, cuius nomen Arsenius erat. Huius vita multam commendationem innocentiæ apud homines sui seculi habuit. Vsu autem venit aliquando, vt quidam gloriaretur apud ipsum, Angelorum visiones

nes sibi apparuisse. Respondit Arsenius: Profecto satius erat et multo præstabilius, tibi peccatorum tuorum visiones apparere, non Angelorum.

ALIVD.

INterrogatus alius quidam senior, quo pacto anima humilitatem posset consequi? Respondit. Si sua tantummodo mala homo consideret.

ALIVD.

SÆpe dixit diuus Antonius, ea de causa relinqui nos in sordidis cogitationibus, vt nosmetipsos & nostram sententiam condemnemus, & ne quid de nobis præsumamus, ac superbi simus.

EXEMPLA DE ORAtione, & quòd eam impedire conetur Satanas.

SAnctum quendam senem interrogauit frater quidam: Quid faciet homo in omni tentatione quæ accidit ei, & quomodo resistet cogitationibus malis? Respondit; Orare debet & plangere

in conſpectu bonitatis Dei, & ſuccurrens auxiliabitur ei. Scriptum eſt enim: Dominus mihi adiutor, & ego deſpiciam inimicos meos.

ALIVD.

CVm quidam fratres de modo orandi ex beato Machario quærerent, reſpondit illis: Non ſunt vobis neceſſaria ſuperflua verba, ſed manus extendere, & dicere. Deus quomodo vis, & ſicut placet tibi, ita fiat. Si autem tentatio irruerit, dicendum: Domine Deus auxiliator, dignare nobis ſuccurrere, tu enim ſcis quid nobis expediat, fac nobiſcum miſericordiam. Teſtatur hoc exemplum non fuiſſe in primitiua Eccleſia tam ſuperſtitioſos ſanctos Patres, quemadmodum poſtea in papatu cœperunt fieri, in legendis horis Canonicis abſq; omni intellectu, ita vt maxima pars ne cogitaret quidem, quid legeret aut oraret

ALIVD.

INterrogatus Abbas Agathon à fratribus: Pater, quæ virtutum in conuerſatione plus habet laboris? Reſpondit: Non puto alium laborem graniorem eſſe, quam orare Deum. Dum enim

pul-

vult homo orare Deum suum, semper hostes dæmones festinant interrumpere orationem eius, scientes quòd nulla re alia perinde impediuntur, quàm per orationem fusam ad Deum. Siquidem omnis alius labor, quem homo Christianus assumpserit, habet aliquam requiem. In orando autem necesse est vt adsit magnum certamen, vsq; ad vltimam exhalationem.

ALIVD.

Dicebat alius quidam senex pater: Sicut impossibile est, vt videat quis in aqua turbida faciem suam, sic & anima seu cor nisi purgatum fuerit à cogitationibus alienis, non potest serio orare Deum. Atq; huc accommodari illud potest, quod in Ecclesiastico scriptum est: Præpara cor tuum ad orandum, &c.

ALIVD.

Abbas Antonius, cum concionaretur quibusdam fratribus, iniuriam illatam ferendam esse, iuxta Christi sententiam: Si quis percusserit te in vnam maxillam, præbe illi & alteram. Et cum responderent quidam ex fratribus, se hoc

non posse, respondit ille: Infirmi estis, ideoq; oratio vobis est necessaria, per quam infirmitas vestra sanetur.

ALIVD.

ACcidit vt nocte quadam Diabolus pulsaret ostium cellulæ Abbatis Macharij, sub specie Monachi, inquiens: Surge Machari, & eamus ad collectam, vbi fratres ad vigilias congregantur. Ille vero vt erat vir pius & non imprudens, intellexit Satanæ illusionem, inquiens: Quid tibi consortij est cum collecta & cœtu Sanctorum, nam veritatis hostis es. Cui ille respondit; An nescis ô Machari, quòd sine nostra præsentia nulla collecta peragitur. Veni igitur & videbis. Cæterum cum sub eandem horam psallerent Monachi, abijt ad collectã Macharius. Ibi vero inter psallendũ vidit tanquã paruos æthiopes, discurrere per totã Ecclesiam, & alios dormitantes alios oscitantes reddere. Porro post psalmos cantatos, inter orandum iam procumbentibus fratribus, vidit Macharius illos ipsos æthiopes iterum percurrere singulos, & ante alium quidem iacentem in oratione, quasi in mulieris speciem vertebantur, ante alium quasi ædificantes & portantes aliquid,

aliquid, aut diuersa quæquè agentes apparebant. Et quæcunq; dæmones hoc modo quasi ludentes formassent, hæc orantes illi in cordis sui cogitatione versabant. A quibusdam tamen fratribus, vbi aliquid horum agere cœpissent, quasi violenter præcipites repulsi deijciebantur, ita vt deserere eos cogerentur. Porro finita oratione quæsiuit Macharius ex fratribus, an ne inter orandum cogitassent ex ipsis, quidam vel de mulieribus, vel de ædificando, vel proficiscendo, vel de alijs deniquè rebus, quas ipse viderat agitari à dæmonibus. Ille vero confitebantur fuisse in suis animis tales cogitationes, sicut quærebat Macharius. Tum vero reipsa intellexit Macharius, insidiari Satanam hominibus pijs inter orandum, ideoque monuit, non segniter orandum, neque psallendum temere & sine intellectu, sicut illi plærumq; faciunt, qui non ex affectu & fide, sed ex multitudine verborum orationem æstimant, & interea alia alijs de rebus vel loquuntur vel cogitant. Proinde grauissime dixit Macharius. Christo coniuncta mens, præcipue in tempore orationis, intenta esse debet, vt nihil malum, nihilquè superfluum recipiat. Atq; hoc ipsum haud dubie est, quod in Ecclesiastico scriptum legis. Præpara cor tuum ad orandum, ne

tentes

tentes Deum. Nam negligenter & sine intellectu orare ac legere psalmos, est vere tentare Deum, & planè ludibrium Satanæ. Neque enim potest portentosior alius ludus esse, quàm ridicula illa vanitas illarum cogitationum, quæ venire solent in illorum animos, qui ex consuetudine, non ex affectu & necessitate aliqua orant.

EXEMPLVM INSIGNE de discrimine inter infirmitates morum, & inter impiam opinionem in causa fidei.

Agathon, vir pietate et patientia insignis fuit, atq; adeo ex magnis Patribus vnus. Hunc pertentandi gratia accesserunt quidam fratres, exploraturi an patienter conuitia posset sustinere. Audiuimus, inquiunt, certò te superbum esse, & contemptoreum aliorum, prætera & adulterij crimini obnoxium, ideoque multos offendis. Ad hæc etiam illud accedit, quod maximum est, comperimus te hæreticum esse. Ad quæ ille respondit: Peccatorem me esse non nego, & quæso

quæso vos orate pro me Deum, sed hæreticus non sum, & hoc vitium nulla patientia possum aut volo dissimulare. Porro causam illis quærentibus, quare patienter ferret criminum conuitia, hæretici nomen non ferret, respondit. Facile dissimulo omnia conuitia Christi exemplo, qui falsa testimonia non refellit, imo & me esse peccatorem agnosco, Cæterum sermonem, quem de hæresi mihi obiecistis, non potui sustinere, quia hæresis separat hominem à Deo, & adsociat diabolo. Alienatus enim à Christo, non habet Deum, quem oret pro peccatis suis. Apparet sanè ex hoc exemplo, extitisse olim inter Patres illos, viros grauissimos & magno iudicio præditos, in causa religionis. Nam ex hoc exemplo satis poteris æstimare, fuisse hunc Agathonem non superstitiosum aut imperitum monachum, sed virum pium & prudentem pariter, quippe qui tam accurate & diserte distinguere potuit, inter fidei peccatum, & peccatum seu infirmitatem morum vitæ.

EX-

EXEMPLA MODESTIÆ Christianæ contra ambitionem & arrogantiam.

MOnachi in cremo Scythiæ consenserant, vt pater Isaac eis presbyter ordinaretur in Ecclesia, quæ in eremo sitat erat. Porrò vbi hora & die statuto conuenerunt ad electionem Monachi, cognito consilio illorum profugit Isaac in eremum Ægypti, detrectans presbyterij onus, et indignum se tanto ministerio existimans. Cæterum quam plurimi fratres secuti sunt, volentes reuocare hominem, & cogere ad suscipiendum Ecclesiasticum munus. Et cum fortè pernoctarent cum asinis in agro, contigit aberrare asinum longius in eremum, ad eum vsque locum, vbi latitabat Isaac. Proinde quærentes fratres amissum asinum, repererunt fortè per occasionem & Isaac patrem, quem comprehendentes, etiam vi cogere & ligare ac reducere ad fratres voluerunt. Sed hoc videns Isaac pater non restitit amplius pertinaciter, sed vltro acquieuit vocationi, non dubitans ita placere Deo. Non possum inquit, vobis contradicere amplius, quia forte voluntas Dei est, vt licet ego sim

tanto

tanto hoc munere in Ecclesia indignus, tamen Presbyterij ordinem susciperе cogar. Neq; verò hic sentiendum est, presbyteri ordinem de Missandi officio intelligendum esse, sed quòd alijs fratribus omnibus præesse debebat Isaac, in recte docendo verbo Dei, & interpretandis scripturis sacris. Nam ad hunc modum quoque de presbyteris Paulus Apostolus docet.

ALIVD.

QVidam frater quotics vel deridebatur, vel iniuria afficiebatur, tanto plus ille gaudebat, inquiens: Isti sunt qui occasionem nobis præbent ad profectum nostrum. Nam qui cõmendant nos, conturbant animas nostras. Scriptum est enim: Væ vobis, cum laudauerint vos omnes homines.

ALIVD.

IVdex quidam nobilis magno cum comitatu venit ad abbatem Symeonem, virum pietate insignem. Voluit enim videre & audire eum, quem iam antea à multis prædicari audierat. Proinde discipuli quos habebat, præcedentes, admonuerunt eum de aduentu iudicis, dicentes: Abba para

para te, quia iudex fama & celebritate nominis tui permotus, venit vt loquatur tecum, & benedictionem à te accipiat. Quibus ille dixit: Etiam ego me præparabo. Et abiecta meliori veste, cooperuit se sacco, & tollens in manu sua panem & casçum sedit in ingressu cellæ suæ, & cœpit manducare, sub ipsum aduentum iudicis. Qui vbi aduenit cum suo satellitio, eumque conspexit talibus moribus vtentem, omnem de Symeone patre conceptam opinionem abiecit, cœpitque contemnere eum, & addidit: Hiccine est Monachus ille solitarius, de quo talia audiebamus? & statim relicto eo discessit Iudex cum suo comitatu.

ALIVD.

AGathon Abbas interrogatus aliquando à fratre quodam, quomodo optime posset habitare cum fratribus? Respondit. Sicut primo die quando ingressus fueris ad eos, ita custodi conuersationem tuam omnibus diebus vitæ tuæ, & caue ne sis arrogans & ambitiosus præ aliis.

ALIVD.

ARsenius Abbas dixit: Peregrinus Monachus, in aliena prouincia habitans, nullis rebus

rebus se immiscere debet, neque arrogare sibi temere aliquid, sed quietus erit. Cicero idem præcepit. Peregrinum non debere curiosum esse in aliena Republica.

ALIVD.

ABbas Sysois, cum sederet quodam tempore assidente fratre altero quodam, raptus est extra se, & audiente fratre nescicns suspirauit. Itaque pœnitentia ductus, ait: Ignosce quæso mihi frater, nec dum enim cognosco me esse Monachum, qui audiente altero suspiraui. Quoties autem idem senex manus suas erexit ad cœlum, cito deponebat manus, quia verebatur, ne si hoc videret quispiam, vanæ gloriæ crimen incurreret.

ALIVD.

ABbas Macharius, si quis illum cum timore & reuerentia veluti sanctum virum volebat adire & alloqui, illi nullum pœnitus responsum dabat. Si quis veluti comtemnens eum, aut alioqui familiariter allocutus fuisset, cum illo benigne conuersabatur. Sensit arrogantiam & inanis gloriæ cupiditatem, veluti pestem quandam fu-

giendam esse homini Christiano, & recte profecto sensit. Nam omnes reliquos vitæ morbos & infirmitates, facile tolerare & dissimulare potest Deus, arrogantiam vero & præsumptionem nostram non potest ferre.

EXEMPLA DE jeiunio.

INterrogatus Abbas Poemen, quomodo jeiunare oporteat, respondit. Abstinere à crapula, & quotidie frugaliter comedere. Nam, inquit, biduana & triduana jeiunia vanæ gloriæ vacant. Senserunt enim sancti Patres, sic optime jeiunare homines, vt quotidie parum comedant, vt sitiant quotidie & esuriant. Apparet satis ex his verbis, optime intellexisse Patres, in primitiua Ecclesia, non requiri à Christo superstitiosa jeiunia, quando dixit: Cauete ne corda vestra grauentur crapula & ebrietate.

ALIVD.

ACcidit vt in die festo prandentibus Monachis, vnus ex fratribus diceret: Quia nihil coctum

coctum comedo, salem mihi deferri cupio. Quo verbo minister audito, clara voce cæteris audientibus hoc fieri iussit. Tunc beatus Theodorus dixit: Oportuit te frater magis carnes comedere, quam hunc sermonem præsentibus fratribus dicere.

ALIVD.

SEnior quidam de ieiunando interrogatus dixit: Melius est manducare carnes, & bibere vinum, quam manducare carnes fratris per obtrectationem.

EXEMPLA CONTRA operum fiduciam.

CVM puella quædam tristaretur propter lapsum & peccata sua, quæreret á consilium ex eremita Abraham, is sic eam consolatus est, inquiens. Noli timere, lubricum enim est genus mortalium, sed sicut citius cadit, sic iterum per Dei adiutorium surgit vel ocius, quippe qui misericors est, & peccantes non vult mori, sed

viuere. Fuisse autem hanc ipsam neptim Abrahæ eremitæ ex fratre, testantur historiæ.

ALIVD.

ABbas Agathon dum moreretur, per tres dies oculos apertos tenuit, ne mouens quidem eos. Fratres ergo tangentes eum dixerunt: Vbi nunc es pater? At ille ait: In conspectu iudicij Dei sto. Cui fratres: Non confidis in opera tua, quæ fecisti secundum Deum? At ille respondit. Non confido in conspectu Dei, quia aliud est iudicium Dei, aliud verò hominum. Voluit enim significare pius vir, coram Deo neminem propter sua opera posse iustificari, sed propter Christum tantum.

ALIVD.

QVidam frater quæsiuit ex Abbate Pimenione, Vtrum melius esset remotius extra hominum consuetudinem, an cum alijs viuere? Respondit senex. Homo si semetipsum reprehenderit, vbiq; potest persistere. Si autem se magnifacit & exaltat, nusquam stat, sicut scriptum est: Qui se existimat aliquid esse, cum nihil sit, ipse

ipse se seducit. Quicquid enim boni fecerit homo, in hoc se exaltare & fiduciam ponere non debet, quia alioqui mox perdet illud.

ALIVD.

BEatus Antonius dum in cella propria oraret, venit ad eum vox dicens: Antoni nondum peruenisti ad mensuram coriarij, qui est in Alexandria. Quo audito, senex surgens mane, arrepto baculo in ciuitatem Alexandriam festinus venit. Cumq; ad designatum hominem fuisset ingressus, ille viso tanto viro obstupuit. Cui senex dixit: Refer mihi opera tua, quia propter te relicta Eremo huc veni. Qui respondens ait: Nescio me aliquando aliquid boni perpetrasse, Vnde ex cubili proprio mane consurgens, antequam in opere meo resideam, dico, quod omnis hæc ciuitas à minore vsque ad maiorem ingrediuntur regnum Dei, quod me sint iustiores. Ego autem solus propter peccata mea pœna sempiterna dignus forem, nisi me propter misericordiam Dei saluari crederem. Quod verbum antequam quiescam serò, ex cordis mei recenseo veritate. Quod audiens beatus Antonius, respondit: In veritate fili, sicut bonus artifex

sedens in domo tua, cum requie regnum Dei adeptus es, ego autem velut sine discretione, omne tempus meum in solitudine conuersatus, nec dum verbi tui assumpsi mensuram. Congruit hæc historia, cum illa Christi parabola, in qua publicanus præfertur Pharisæo, Lucæ 18. Nam eodem modo hic miser coriarius præfertur sanctissimo Eremitæ Antonio.

ALIVD.

NOanus Episcopus, sanctitate vitæ, doctrina & facundia, insignis, hanc memorabilem confessionem coram Deo edidisse scribitur: Nudus sum, Domine, tam in cœlo, quam in terra, non adimplens peccata mandatorum tuorum. Ergo non est mihi spes ex operibus bonis, sed spes mea in misericordia tua, qua confido saluari.

ALIVD.

ABbas Pamon, in ipsa hora, quando transibat iam de corpore, dixit alijs viris sanctis astantibus sibi: Quia ex eo, quo veni in hunc locum solitudinis, & fabricaui mihi cellulam, & habitaui in ea, extra manuum mearum laborem, non recolo me comedisse panem, neque me loquutum fuisse sermonem, quem me protulisse pœniteret, vsq; in hanc horam, & sic vado ad Dominum, quomodo qui nec initium seruiendi Deo adhuc fecerim.

EX-

EXEMPLA DE VSV & exercitio verbi Dei assiduo contra Acidiam.

QVIDAM frater dixit ad seniorem quendam patrem: Ecce pater, quia subinde audio conciones sacras, & frequenter interrogo seniores, vt doceant me de salute animæ, sed quicquid audio, illius statim obliuiscor, neq; retinere possum. Porrò erant seni duo testacea vasa vacua, & præcepit ei, inquiens: Vade & affer alterum vas, & infunde aquam, ac perbue & effunde, & purgatum repone in locum suum. Id verò fecit frater semel atque iterum, & quæsiuit senex. Quæso te vtrum vas purius est? Ad quod ille: Id quod iam elui. Tunc senex ait. Sic est & anima fili, quæ frequenter audit verba Dei. Quamuis nihil retineat ex his quæ audit & interrogat, tamen plus mundatur, quàm illa, quæ non requirit verbum, & non curat audire.

ALIVD.

DIxit Palladius Abbas. Oportet animam secundum Christi voluntatem conuersantem,

& discere fideliter quæ nescit, & docere manifestæ quæ nouit. Si autem vtrumque cum possit non vult, insaniæ morbo laborat. Initium enim recedendi à Deo, fastidium doctrinæ est, & cum non appetit homo illud, quod semper anima esurit, quæ diligit Deum.

ALIVD.

INTERROGANTI cuidam Abbatem Pimenionem de duritia cordis, respondit senex. Natura aquæ mollis est, & lapidis dura, sed tamen subinde stillans aqua perforat lapidem. Sic & verbum Dei subinde auditum, emollit duriciem humani cordis, & adfert timorem Dei.

EXEMPLA DE NON tentando Deo, & quòd sub Euangelio ociosos & securos non esse non decet, sed quisque laborare debet in suo vitæ genere.

QVIDAM frater peregrinus venit ad abbatem Syluanum, & cum vidit laborare fratres,

fratres, ait: Cur operamini cibum, qui perit? Maria optimam partem elegit. Quod cum audisset senex, homo pius & prudens, præcepit discipulo suo, inquiens: Da illi codicem, vt legat, & perduc eum in solitariam cellam, vbi nihil cibi est. Porrò sub prandij horam esurire cœpit frater, sperabatq; se quoque pransurum cum fratribus reliquis, sed non vocabatur. Itaq; fame premente ipse tandem accessit Abbatem cibi sumendi caussa, inquiens: Cur ego non sum vocatus ad prandium? Cui Syluanus facete admodum respondit: Tu homo spiritualis es, & non habes opus carnali esca, nos verò homines carnales cibo opus habemus, ideoq; operamur & laboramus. Tu autem bonam partem elegisti. Quod cum audisset, pudebat eum suæ superstitionis, quod prætextu pietatis ocium quærebat, & subducebat se à laboribus. Ad eundem modum Paulus præcepit labore parandum victũ, ne quis ocium sectetur sub prætextu Euangelij, & grauis sit alijs fratribus. Qui non laborat, non manducet.

ALIVD.

IOANNES quidam Abbas dixerat aliquando ad fratrem quendam maiorem suum: Volo esse securus sicut angeli sunt securi, nihil operantes, sed sine intermissione seruientes Deo. Et abiecto vestitu abijt in solitudinem, idque per vnam septimanam, postea reuersus statim est ad fratrem suum. Et dum ostium pulsaret, noluit aperire frater, nisi prius diceret, quisnam esset, & quo nomine vocaretur. Respondit itaq; se Ioannem fratrem ipsius esse. Cui ille. Non aperio tibi, nam Ioannes angelus factus est, & amplius inter homines non est. Ille vero cum strenue interim esuriret, & tempestatis vehementia ac imbribus affligeretur per noctem, receptus est à fratre in cellam primum sub ipsum exortum diei, & grauiter simul obiurgatus ob inertiam & superstitionem. Si, inquit, frater homo es, & laborare te oportet, vt victum tibi comparcs. Ille errorem suum agnoscens, delicti veniam postulauit.

ALIVD.

MOnachus quidam Thebanus deputatus diaconus erat, vt ministraret pauperibus & viduis

viduis necessaria. Contigit autem, vt cum distribueret eleemosynas, veniret mulier quædam ad accipiendam eleemosynam, quæ lacera veste induta erat. Quam cum vidisset ita laceram, impleuit manum, vt plus ei quàm cæteris daret. Sed quid fit? Clausa est mirabili quodam fato manus eius, & leuauit parum pecuniæ tantum, quod mulieri porrexit. Alia verò venit ad eundem diaconum bene vestita, & videns vestes eius satis bonas, parca manu quantum satis putabat, dare ei volebat, & inter dandum aperta est ei manus, & multum ei dedit. Porrò cum de vtriusq; mulieris conditione esset percontatus, deprehendit illam quæ bonis vestibus induta erat, de honestis parentibus prognatam, ad inopiam deuenisse. Illa verò alia tantum sic lacera studiosè erat, quod ad accipiendum venerat, auaritiæ magis quam necessitatis caussa.

ALIVD.

MOnachus quidam fratrem laicum habuit, cui omnia vitæ necessaria præbuit, sed quanto plus præbuit, tanto minus habuit, & maiorem inopiam patiebatur. Quod cum indicasset frater seniori cuidam patri, ita accidere suo fratri, respondit

spondit ille: Præcipe tuo fratri, vt ipse suo labore victum sibi paret. Nam Monachorum res ignis est, vbicunque ingreditur, consumit omnia. Hoc autem vtile est tuo fratri, vt de labore suo misereatur & conferat eleemosynas, & ipse non viuat de alieno labore ociosus. Acquieuit consilio senioris patris, & iussit vt frater suus ipse laboraret, neque ita pergeret ex alieno ociosus viuere. Quod cum fecisset, sensit mirabiliter opes suas ex benedictione Domini augeri, adeo etiam, quòd postea ipse alijs eleemosynas largiri potuit.

EXEMPLVM QVOD largis benedicit Deus, iuxta illud, Date & dabitur vobis, etiam tempore famis.

SEnex quidam cum alio fratre habebat communem victum. Erat autem senex ille misericors, qui quotidie multa inopia laborantibus largiebatur. Accidit autem forte, quòd fieret in ea regione fames, eaq; occasione cœperunt multi venire ad senis domum, vt acciperent eleemo-

leemosynam, & ille omnibus venientibus panem dabat. Quod cum vidit frater, indigne admodum tulit, inquiens. Da mihi meam partem de panibus, & quicquid volueris de parte tua facito. Id vero haud quaquam grauatim fecit senex, qui nihilominus de sua parte pro solito suo more pergebat benefacere, & distribuere pauperibus, qui in tanta charitate annonæ magno munero ad eum confluebant. Cæterum factum est, quod benedictione Dei mirabiliter aucti sint panes huius senis. Alter verò frater, consumptis suis panibus, non multo post egere cæpit, & petijt, vt iterum sibi liceret cum patre seniore communem victum habere, quod ille facile permisit. Contigit autem, vt frater ille rursus videret deficere panes, et cum pauperi aliquid dandum esset, dixit panem deesse. Senex verò iussit dari panem, & quæri. Proinde ingressus frater, vidit sportas magna panum copia repletas. Quod cum vidisset, timuit, & dedit pauperi. Atq; hoc modo per experientiam didicit, credentes Deo curæ esse, & ali ex benedictione Dei, etiam tempore famis.

EX-

EXEMPLA DE VOCA-tione, quod in ea monendum sit, contra πολυπραγμοσύνην.

FRrater quidam erat in cœtu Monachorum, & cum esset in publico quodam ministerio constitutus, irrequietus & animo plerumque iracundo fuit, propterea quòd offendebatur subinde cum videret, quòd displicebat. Constituit igitur in loco solitario extra congregationem secum priuatus viuere, ne quid vel videret vel audiret, quòd posset offendere. Ero, inquit, animo tranquilliori cum solus sum, & non habeo quenquam, quem vel audiam, vel quo cum loquar. Accidit autem tempore quodam, cum iam esset in solitario loco, quòd cum aquam hauriret ex profundo puteo, forte contigit, quod vrna euerteretur, & id per occasionem semel atq; iterum factum est. Quare commotus ira, perfregit vrnam & abiecit. Reuersus autem ad se, cognouit affectus vitiosos nulla mutatione loci propulsari, sed semper & vbique nobis adhærere, & nos comitari. Reuertar igitur, inquit, in collegium fratrum. Nam ad vincendos affectus opus esse video labore & patientia, & maxime

Dei

Dei adiutorio. Itaque rediit in congregationem fratrum, & intellexit, in publicis ministeriis non posse corrigi simul omnia, sed opus esse patientia & dissimulatione.

ALIVD.

INTERROGATVS diuus Antonius à quodam. Quid obseruando Deo placeret. Respondit: Habeto Deum præ oculis, & quodcunque opus exerces, sume ex diuinis scripturis exempla, & in quacunque conditione seu vocatione fueris, eam retine, & patienter in ea consiste.

ALIVD.

INterrogauit frater quidam seniorem: In quo bono opere me debeo exercere? Respondit: Abbatem Nestorem amicum Antonij similiter à quodam interrogatum dixisse: Non sunt omnia opera æqualia. Scriptura enim alia opera in alijs sanctis commendat, id quod exempla Abrahæ, Eliæ & Dauidis testantur. Tu igitur in tua vocatione secundum Deum age & custodi cor tuum.

ALIVD.

DIcebant patres. Si tibi contigerit tentatio in loco vbi habitas, non deseras locum in tempore tribulationis. Quod si deserueris, quocunque perrexeris, inuenies quod fugisti. Quare patiens esto in tua vocatione, donec transeat tentatio, ne discessio tua alijs scandalum fiat.

EXEMPLVM DE patientia in aduersis.

DIxit quidam senex. Si corporis infirmitas te occupârit, noli pusillanimis fieri, quia si te Deus corpore vult debilem fieri, quis es, qui molestè suscipias, aut potestati eius resistas? Nonne ipse pro te cogitat de omnibus? nunquid sine ipso viuis? Patienter ergo fer, & ora Deum, vt donet tibi quæ expediunt, & sede cum patientia manducans, quod habes in charitate.

EXEMPLVM DE FVgiendis vanis & inutilibus quæstionibus, in causſa pietatis.

ANACHORETA quidam ab Abbatem Poemen venit, à quo cum lætitia ſuſceptus eſt, & cum alterutrum ſe complexi eſſent amanter, cœpit ilico Anachoreta de cœleſtibus rebus & ſublimibus quæſtionibus conferre. Tum ſenex auerſa facie ne reſpondere quidem voluit, ſed tacuit prorſus. Triſtis alter, qui nulla alia de cauſſa longo itinere aduenerat, quàm vt cum eo conferret, cauſam ſilentij quærit, & rogat, quare reſpondere non dignetur. Cui ſenex ait. Tu homo de ſuperioribus es, & cœleſtia tantum loqueris, ego autem de inferioribus ſum, & terrena vix loqui poſſum. Si mihi aliquid dixiſſes de peccatis & paſſionibus humanis, ego vltro tibi reſpondiſſem. Tum verò Anachoreta vanitatem & errorem ſuum agnoſcens, gratias etiam egit, quòd hac ratione in viam reuocaretur. Non dubium eſt, Poemen patrem magna pietate & iudicio præditum, reſpexiſſe ad id quod Apoſtolus Thimotheo præcipit, Vanas & inutiles quæ-

stiones deuitandas esse, pariunt enim contentiones, & nihil conferunt ad ædificationem.

EXEMPLVM, QVOD ingratitudo & contemptus Euangelij in causſa eſt, quod obſcuratur doctrina fidei.

VEnerunt quidam ad Abbatem Fœlicem, rogantes vt diceret eis ſermonem. Illis vero inſtantibus & vrgentibus, tandem dixit ſenex: Modò non eſt ſermo & ſpiritus interpretandi ſcripturas. Quondam enim interrogabantur ſeniores, & faciebant fratres ac auditores, quæ docebantur, tum dominus gratiam dabat, quomodo loquerentur. Nunc autem cum interrogant quidem, non autem faciunt, quæ audiunt, abſtulit Deus gratiam à ſenibus, vt non inueniant, quid loquantur, quoniam qui operetur non eſt. Quod cum audiſſent, ingemuerunt, & ſimul rogabant ſeniorem, vt pro ipſis oraret.

EX-

EXEMPLVM DE PRIuatæ confessionis & absolutionis vsu.

ABbatem Cassianum dixisse ferunt. Valde bonum est non abscondere cogitationes, sed senibus spiritualibus, & discretionem habentibus eas manifestare, non his tantum, qui ætate senes sunt, sed qui cognitionem verbi Dei habēt. Quoniam multi, qui quando ad ætatem respexerunt, & cogitationes suas illis aperuerunt, qui senes stupidi & imperiti erant, sine omni consolatione discedentes, vel ad superstitionem, vel ad extremam desperationem peruenerunt.

EXEMPLA DE APPAritionibus Spirituum, quibus credendum non est.

DIcitur de sene quodam, cui sub Christi persona ostendit se diabolus, inquiens: Ego sum Christus, en respice me. Ille oculos claudens dixit. Ego hic Christum nolo videre, sed in alia vita, ego enim meo Christo dicenti credo: Si quis

vobis dixerit: Ecce hic Christus, ecce illic, nolite credere. Quo dicto statim euanuit ex conspectu senis diabolus.

ALIVD.

CVidam fratri homini pio apparuit diabolus transformatus in angelum lucis, & dixit ad eum: Ego sum angelus Gabriel, quare clausisti oculos tuos? ego enim ad te missus sum. Ille autem dixit ei: Vide forte ne ad alium quempiam sis missus. Ego enim non sum dignus, vt angelus mittatur ad me. Porro dicebant Patres seniores, qui intelligebant illusiones Satanæ. Quòd si verus etiam Angelus tibi appareat, non suscipias eum, neque credas ei facile, sed dicito: Non sum dignus videre angelum, viuens in peccatis. Vsq; adeo periculosum sentiebant sancti Patres, visionibus spirituum credere, qui certe multo prudentiores extiterunt illis Patribus & Episcopis, qui postea per apparitiones spirituum decepti sunt, & à doctrina fidei ad operum fiduciam & humanas satisfactiones defecerunt, & suo exemplo ob speciem sanctimoniæ alios quoq; imo totum fere orbem in similes errores conicerunt, id quod palam constat de Gregorio Papa.

EX-

EXEMPLVM DE VArys tentationibus Satanæ, quibus oppugnat credentes.

MAcharius Abbas referebat, quod cum in solitudine esset solus, viderit sub ipsum occasum solis per viam diabolum transeuntem, & vndique ex eius corpore multa vascula dependere. Et cum videret eum magna celeritate properare in proximam solitudinem, quæ plena erat multis fratribus, dixit ad eum: Quò vadis maligne? Cui ille: Vado ad conturbandum & commouendum fratres. Cui senex. Cur tot vascula portas? Ad quod ille: Gustum fero fratribus, & ideo tot & tam varia fero, vt si vnum non placuerit, porrigam aliud. Quod si & illud displicuerit, ostendam item aliud, atque ita fieri non potest, quin vnum aliquod ex illis placeat eis. Et hæc dicens discessit.

EXEMPLVM DE SERuando modo & discretione in operibus & castigationibus corporalibus, contra homines quosdam inciuiles & superstitiosos.

DIcere solebat Antonius. Quia quidam, qui non castigant sed conterunt corpora sua in abstinentia, & quia discretionem non habent, longè facti sunt à Deo, quod neque seruire proximo, neque vtiles esse in suo ministerio potuerunt, id quod de se dicitur Diuus Bernhardus conquestus esse.

ALIVD.

ACcidit quòd venator quidam superueniens in eremo, videret Diuum Antonium cum fratribus ludentem, id quod offendit eum. Antonius itaque, vt erat pius vir & prudens pariter, ostendere voluit, quòd oporteret aliquando remitti fratrum labores, dixit ad venatorem. Age pone sagittam in arcu tuo, & intende neruum.

Id vero vltro fecit venator. Idem vt rursus & sine intermissione faceret, præcepit. Respondit itaque venator. Se non posse toties intendere arcum, & tam diu intentum retinere, nisi rumpere tandem et perfringi neruum cum arcu vellet. Tum vero dixit Antonius. Ita quoque est in exercitijs pietatis. Quod si supra modum & sine mensura tendimus fratres, cito deficiunt. Expedit ergo & laboribus eorum quietem aliquam & cessationem nonnunquam intermittere. Poëta idem dixit vno versiculo. Quod caret alterna requie durabile non est.

ALIVD.

QVodam tempore conuenerunt plurimi seniorum ad beatum Antonium, in Thebaides partibus commorantem, vt de rebus sacris cum eo conferrent. Et cum hæc quæstio esset proposita inter Patres: Quæ nam virtus Christianum hominem in officijs pietatis recte conseruaret, alij aliter respondérunt, quisque pro suo captu. Senserunt enim alij id commode jeiunijs vigilijsque fieri, alij vero nuditate & contemptu rerum externarum, alij etiam conducere ad hoc vitam solitariam, quidam etiam id per charita-

tatis officia erga hospites fieri posse censebant. Et cum dissentirent inter se opinionibus patres, respondit tandem beatus Antonius, inquiens. Omnia quidem quæ dixistis, vtilia sunt Christianis, sed his principalis gratia tribuenda non est, idquè plurimorum fratrum casus confirmant, qui versantes in his obseruationibus decepti sunt, eo quòd in bono quod cœperant, modum & discretionem non tenuerunt. In omnibus ergo quæ agimus, discretio anteponenda est. Constat sine discretionis gratia & modo, nullam perfici vel diu stare virtutem posse. Voluit haud dubie significare sanctissimus vir, moderatione quadam vtendum esse vnicuique in faciendo officio suo, vt nec laboribus & jeiunijs frangatur corpus, neque rursus ocio & luxu diffluat.

Porrò addidit diuus Antonius exemplum Heronis senis, quo ostendere Patribus voluit, non posse sine graui periculo corporis & animæ prætermitti modum ac discretionem. Vixit, inquit, hic senex solitariam vitam, nam perpetuo intra cellam suam latitauit, & magna quadam seueritate animi immutabilem jeiunij continentiam exercuit, adeo etiam, vt nec in die Paschæ rigorem abstinentiæ solueret. Sed quid factum est? tandem præsumptione sua deceptus, semet-

ipsum

ipsum in profundissimum puteum præcipitauit, idque ex persuasione Satanæ, qui sese in angeli cœlestis formam commutauerat, eiq; consuluerat, hanc esse voluntatem Dei, vt hoc modo suæ virtutis magnum meritum probaret, si inde illæsus exiret. Sed vix semiuiuus ex puteo cum ingenti omnium fratrum dolore extractus est, & triduo post vitam finiuit. Et id quod deterius est, ita in deceptionis suæ pertinacia permansit, vt nullis verbis sibi passus sit persuaderi, se Satanæ calliditate fuisse delusum.

ALIVD.

ADdidit hoc quoque exemplum inquiens. Quid etiam de illo Monacho referam, cuius nomen, quia adhuc superest, sileo. Is longo tempore diabolum in angeli claritate susceptit, reuelationibus eius sæpe deceptus, credidit eum internuncium iustitiæ esse. Nam per omnes noctes in eius cellula lumen absq; vllius lucernæ officio præbebat Diabolus. Ad extremum vero iussit eum filium suum, qui cum eo pariter in eodem monasterio commanebat, offerre victimam Deo, vt scilicet hoc sacrificio Abrahæ patriarchæ meritis coæquaretur. Cuius persuasione ille se-

ductus, hoc cœpit tentare, & sacrificasset filium, nisi per occasionem puer de cella ex eius manibus elapsus, celeriter aufugisset.

EXEMPLVM DE ORIgine erroris Berengary & Sacramentariorum.

IN libro de contemplatione, in Vitis patrum, hoc extat scriptum, quod Arsenius dixit, vidisse se senem pium & magni nominis in Scythia, qui in eo erat errore, quod asserebat, non esse naturaliter & vere corpus Christi panem consecratum, quem sumimus, sed figuram tantum eius esse. Quod cum audissent Patres, refellerunt hunc errorem, & quia non ex malicia tuebatur ille istam hæresim, ideo orationibus fratrum adiutus resipuit, & agnouit errorem suum. Apparet ex hoc exemplo, Sacramentariorum errorem, qui nostra ætate renatus est, non esse nouum, sed olim quoque fuisse, sicut & aliæ sectæ.

EXEMPLVM, QVOD assiduo exercitio ac studio opus sit in discendo verbo Dei.

PAmbus quidam in eremo degens, cum sine literis esset, accessit ad quendam vt doceretur psalmum. Qui cum audisset primum versum tricesimi octaui psalmi: *Dixi custodiam vias meas, vt non delinquam in lingua mea:* Secundum versum non passus est audire, dicens: Si potuero opere hoc implere, hic versus tantummodo mihi sufficiet. Cæterum cum doctor ille, qui ei tradiderat hunc versum, ægre ferret ac culparet, quòd per sex menses ad se minime venisset, respondit: Quia versum illum nondum plene didici, nec opere adhuc impleui. Postea vero cum multos superuixisset annos, à quodam noto rogatus, an didicisset versum: Quadraginta & nouem, inquit, annis vix eum implere valui.

ALIVD.

IS Pambus Athanasio Episcopo precante, ab eremo descendit in Alexandriam. Cumquè vidisset

vidisset ibi mulierem theatralem, lachrymas emisit ilico. Rogatus autem ab ijs qui tum forte aderant, cur ploraret, respondit: Duæ me res mouerunt: vna, quæ est huius mulieris perditio: altera vero, quòd ego non tantum studio placere Deo meo, quantum hæc studet, vt turpibus placere hominibus possit. Et est profecto sic nobiscum comparatum, vt pleno gressu ac magno impetu ad mala feramur, cum ad bonum vix vllis precibus aut commodis propositis adduci queamus.

BASILII MAGNI Memoranda sententia.

HVmanam scientiam reddit crebra meditatio & exercitatio meliorem, eam vero quæ gratia Dei conceditur, iustitia, patientia, atque misericordia. Et humanam quidem etiam passibiles suscipere poterunt, diuinæ impassibiles tantummodo sunt capaces.

EX-

EXEMPLVM, QVOD AFflictiones & infirmitates patienter sint ferendæ.

STephanus Monachus circa Mareoten habitans, sobrie admodum & continenter vixit, ac circa sexaginta annos Monachus probatissimus fuit, ipsi vero Antonio per quam familiaris. Fuit hic valde mansuetus & sapiens, ac in sermone suauis et vtilis, et tristantium animos consolatione reficiens, & ad alacritatem reuocans, tum etiam cum necessaria tribulatio accidisset. Ac talis etiam in proprijs calamitatibus inuentus est. Nam cum infirmitatem incurabilem incurrisset, & medici putrida membra eius incidissent, ille manibus tamen operabatur, victumq; honeste sibi quæsiit, palmarum plectens folia, & persuadens præsentibus, vt propter huiusmodi incommoda noua doterent, sed patienter aduersa ferrent, neque aliud cogitarent, nisi de bono fine. Deus, inquit, quæ fecit, cuncta vtilia sunt. Ego autem noui huiusmodi morbos propter peccata accidere. Et melius est hic per patientiam afflictiones & pœnas perferre, quàm post mortem perpetua supplicia sustinere.

EX-

EXEMPLA DE IIS, qui se ad tempus Christianos fingunt.

TEmporibus Iuliani Imperatoris plurimi fuerunt, non recta mente Christianum nomen habentes, quippe qui pecunias & honorem præsentem felicitati veræ fidei præponerent, ideoq; ad sacrificia idolorum descenderunt, contra conscientiam agentes. Inter hos non postremus fuit Sophista Constantinopolitanus Ecebolus, qui & Iuliano ipsi Rhetoricæ professor aliquando fuit. Is mores Imperatorum sequens, sub Constantio quidem feruentissimum se finxit Christianum; sub Iuliano Paganus celeriter est effectus, & rursus post Iulianum volebat esse Christianus. Prosternens etenim semetipsum ante ianuas Ecclesiæ pronum, magna voce clamabat: Conculcate me sal insensatum. Quòd si istis temporibus tales fuerunt, mirum non videri debet, si & nostro tempore, in quo veritas Euangelij patefacta est, multi propter honores & diuitias consequendas, simulent se fauere Euangelio.

ALIVD.

AB hoc animo nec ipse Imperator Iulianus abhorruit, qui quum dudum integer Christianus fuisset, postea proditor est effectus. Tonsus enim monasticam simulabat vitam, & latenter exercebatur in Philosophia, vtens lectionibus librorum apud Libanium sophistam, in manifesto autem sacros legebat libros. Denique in Ecclesia Nicomediæ lector est constitutus. Verum hæc ex timore faciebat, nequaquam à spe recedens, quam mente conceperat, dicebatq; plurimis amicorum suorum, fælicia fore tempora, quibus ipse rerum potiretur in imperio. At postea quam ad imperium euectus est, figmentum Christianismi, quod habebat, abiecit, & seipsum palàm Paganorum pontificem nominabat, adiens diuersas vrbes, aperiebat templa, & idolis offerebat. Omnem etiam deuotionem ministris impijs templorum affluentius exhibebat. Sæpe ciuibus in commune rescripsit, vt ad paganos accederent ritus, & eius donatione fruerentur. Christianis se inimicum aperte designabat, quos neq; venire ad se, neq; legationes eorum suscipere volebat. Vt vero Paganismum constabiliret, ac omnes homines ad suscipiendum eum perpelleret, nihil

nihil non excogitauit, inter quæ illud præcipue memoratu dignum videtur, quod de ficta clementia eius refertur. Fertur enim, quum Constantinopoli apud Fortunam sacrificaret vrbis, accessisse ad eum Mares Chalcedonis Episcopus, & publicè impium & ἄθεον, apostatamque vocitasse, illum verò solam ei improperasse cæcitatem: erat enim senex, & propter imbecillitatem oculorum manu alterius ducebatur. Ad hæc volens etiam lacerare Deum & conuitijs proscindere, consuetè dixit: Neque Galilæus Deus tuus curare te potest. Respondens verò Mares, dixit: Ego, inquit, Deo meo pro cæcitate gratias ago, quia hoc ideo factum est, ne te videam pietatis desertorem. Imperator autem nihil respondens discessit. Sic enim putabat potius roborari Paganismum, si se patientem ac mitem Christiano populo demonstrasset. Verum multa alia extant huius Imperatoris callida consilia & facta, in historia Ecclesiastica, quibus vsus est in subuertenda religione Christiana. At nos, qui non tam videri, quàm reuera esse Christiani volumus, sedulo operam dare debemus, vt bonis operibus & honesta conuersatione inter homines, declaremus nos vera fide præditos esse in Christum, ne cum ore profiteamur nos esse Christianos, factis

factis ipsis negemus. Idque hoc ardentius conari debemus, quo maior eorum numerus est, qui prætextu Christianæ religionis suum tantum commodum agunt.

EXEMPLVM DE pœna impietatis ex Sabellico.

ANastasio Pontifice Maximo Trasimundus Vandalus templa Christiani nominis tota clausit Aphrica, centum viginti Antistites ex ipsa terra in Sardiniam relegauit. Potuisset barbarus suæ impietatis admoneri, per ea signa, quæ sub id tempus Carthagini facta dicuntur. Olympius, Arrianus Antistes, sanctam Trinitatem in publico detestatus, tribus ictus fulminibus, ita periit, vt consumptum sit eadauer cœlesti flamma. Et alius pari titulo & amentia, cum Catechumenum baptismo admouisset, hæcque effari cœpisset verba: Baptizat te Barbas (id enim illi fuit nomen) in nomine Patris, per Filium, in Spiritu sancto, ferunt aquam nusquam extitisse. Quo miraculo motus, qui characterem expectabat, confestim ad Orthodoxos transiit.

CATALOGVS SANCTORVM ET EXEMPLORVM, QVÆ IN hoc libello continentur.

A.

De S. Ambrosio. 46.
De Ammonio Monacho. 56.
De S. Andrea Apostolo. 7.
D. S. Antonio. 65.
De Apollonia Virgine. 51.
De Apelle Martyre. 58.
De Athanasio Episcopo. 39.

B.

De S. Bartholomæo Apostolo. 13.
De Basilio Magno. 54.
De Blasio Episcopo. 64.

C.

De Cointho. 30.
De constantia mulieris Edessanæ. 52.

D.

De Dorothea Virgine. 35.

De

E.

De Eulogio Episcopo. 53.
Exempla libertatis Christianæ, & superstitionis. 69.
Exempla de affectibus, & occasione peccatorum, & mortificatione. 73.
Exemplum de occasione peccandi & officio charitatis. 76.
Exempla de præsumptione & securitate. 76.
Exempla de oratione. 79.
Exemplum de discrimine inter infirmitates morum, & impiam opinionem in fide. 81.
Exempla modestiæ Christianæ contra ambitionem. 82.
Exempla de ieiunio. 84.
Exempla contra operum fiduciam. 85.
Exempla de vsu & exercitio verbi Dei contra Acidiam. 87.
Exempla de non tentando Deo. 87.
Exemplum benedictionis diuinæ. 89.
Exempla de vocatione. 90
Exemplum de patientia in aduersis. 91.
Exemplum de fugiendis inutilibus quæstionibus. 92.
Exemplum de causa obscuratæ doctrinæ. 92.
Exemplum de priuatæ confessionis vsu. 93.

Exempla de apparitionibus Spirituum. 93.
Exemplum de varijs tentationibus Satanæ. 94.
Exempla de moderatione & discretione. 94.
Exemplum de origine erroris Sacramentarij. 96.
Exempla de assiduo exercitio ac studio in discendo verbo Dei. 97.
Exemplum de patientia. 98.
Exempla de inconstantia in religione. 98.
Exemplum de pœna impietatis. 110.

H.

De Hormisda. 57.

I.

De S. Iacobo Maiore Apostolo. 9.
De S. Iacobo Minore Apostolo. 17.
De S. Ioanne Apostolo & Euangelista. 11.
De Ioanne Aegyptio monacho. 64.

L.

De Luciano presbytero Antiocheno. 37.

M.

De S. Matthæo Apostolo. 16.
De S. Matthia Apostolo. 20.
De Maria Magdalena. 22.

De Marino Martyre. 32.
De S. Martino Episcopo. 58.

N.

De S. Nicolao Episcopo. 61.

P.

De S. Petro Apostolo. 6.
De S. Philippo Apostolo. 12.
De S. Paulo Apostolo. 21.
D. S. Polycarpo. 26.
De Potamiena virgine. 30.
De Petro Martyre. 33.
De Philea Episcopo. 34.
De Paphnutio Episcopo. 38.
De Pædagogo quodam. 51.

S.

De Simone & Iuda Apostolis. 19.
De Spiridione Episcopo. 48.
De Scne quodam confessore. 50.

T.

De S. Thoma Apostolo. 15.
De Theodoro Monacho. 71.

FINIS.

Errata sic corrige.

Comperreat pro compererat fol. 7. a.
Eionitas pro Ebionitas fol. 12. a.
assuerabant pro asseuerabant fol. 13. a.
elemedio pro è medio fol. 15. a.
ab pro ob fol. 15. b.
manumentum pro monumentum fol. 16. b.
vinula pro vincula fol. 21. b.
missui pro missus fol. 22. b.
quastum pro quæstum fol. 22. b.
respondi pro respondit fol. 26. b.
potest pro potes fol. 37. a.
pati pro paci fol. 37. b.
dux erant pro duxerant fol. 39. a.
aduersus. Athanasiun pro aduersus Athanasium fol. 41. a.
compereat pro compererat fol. 43. a.
scidolorum pro idolorum fol. 44. b.
blaspemus pro blasphemus fol. 51. b.
consideraui pro considerauit fol. 53. a.
defedenre pro defendere fol. 54. b.
rusus pro rursus fol. 56. b.
agis pro agit fol. 60. b.
singulari pro singulari fol. 61. b.
Volult pro voluit fol. 65. b.
contingerit pro contigerit fol. 73. a.

Ve-

Vesticus pro vestitus fol. 77. b.
Ille pro illi fol. 81. a.
contemptoreum pro contemptorem fol. 81. b.
exstimat pro existimat fol. 85. b.
Noanus pro Nonnus fol. 86. b.
peccata pro præcepta fol. 86. b.
manifestæ pro manifestè fol. 87. b.
monendum pro manendum fol. 90. b.
pulsillanimis pro pusillanimis fol. 91. b.
ab pro ad fol. 92. a.
Reliqua leuiora æquus lector per se facilè corriget.





Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn1015147240/phys_0224

ipsum in profundissimum puteum
idque ex persuasione Satanæ, qui
cœlestis formam commutauerat, eiq
hanc esse voluntatem Dei, vt hoc m
tutis magnum meritum probaret,
exiret. Sed vix semiuiuus ex putec
omnium fratrum dolore extractus
duo post vitam finiuit. Et id quod
ita in deceptionis suæ pertinacia pe
nullis verbis sibi passus sit persuad
calliditate fuisse delusum.

ALIVD.

ADdidit hoc quoque exemplu
Quid etiam de illo Monacho re
nomen, quia adhuc superest, sileo. I
pore diabolum in angeli claritate su
lationibus eius sæpe deceptus, credi
ternuncium iustitiæ esse. Nam per
in eius cellula lumen absq; vllius lu
præbebat Diabolus. Ad extremun
eum filium suum, qui cum eo pari
monasterio commanebat, offerre vi
vt scilicet hoc sacrificio Abrahæ
meritis coæquaretur. Cuius persua

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1015147240/phys_0225